JOH. COMBACHII
Theologiæ & Philosophiæ Professoris ordinarii in Academia Cassellana,

DE EUCHARISTIA LIBER,

Cui sub finem annexa est Disputatio de Articulo X. Augustanæ Confessionis,

Habita d. 26. Junij anno 1630,

Cum celebraretur Festum seculare in memoriam Confessionis in Comitiis Augustanis exhibitæ,

Invictissimo Imperatori
Carolo V.

Cum Indice rerum & verborum notabilium,

CASSELLIS
Excudebat Iohannes Vvesselius
Anno M. DC. XXXIX.



Illustrissimis & Celsissimis Principibus ac Dominis,

DN. HERMANNO,
DN. FRIDERICO,
DN. CHRISTIANO,
DN. ERNESTO,

Hassiæ Landgraviis, Comitibus in Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda &c.

Fratribus, Dominis suis clementissimis.

ILlustrissimi & Celsissimi Principes, ac Domini, Domini Clementißimi. Lilium inter spinas sponsa est, inter spinas rosa Ecclesia est: spinis septa undiq3, sive defendatur his undiq3, sive petatur iis undiq3. Non caret ea tutelâ & defensione suâ, nec poterit absq3 dolore impunè quisquam tangere, si discerpere & devastare velit eam. Quod Saul audiebat minas spirans & cædes: Saul, Saul, quid me persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare: Idem audiunt hodie quoq3 hostes Ecclesiæ

omnes & tyranni: & ô utinam audirent cum Saule convertente se, & respondente: Domine quis es, & Domine quid vis me facere? sed quum in furore perseverare non desinant, quid expectabunt, nisi ut inferni pœnas persentiscant, qui surgunt contra Ecclesiam adversus quam prævalere non possunt inferni portæ. Non ergò poterit lilium & rosa lædi, quin qui læserit à spinis lædatur & ipse. Nolite, inquit Dominus, tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari: qui tetigerit vos, tangit pupillã oculi mei. Sed & spinæ sunt, quibus hæc rosa cingitur, non ad tuendam & defendendam eam, sed quæ pungant & lædant. Hostes hi sunt & inimici, Satanæ opus, ad delendam extinguendamq; Ecclesiam: huc enim ejus tendunt consilia omnia: Vana quidem, sed non absq; dolore. Et aperto quidem Marte invadunt Ecclesiam alii: sed ex insidiis doloq; aggrediuntur eam alii. Tyranni sub initium Ecclesiæ Novi Testamenti, huc omnes cogitationes & vires conferebant, totam ut extirparent & evellerent: quorum exemplum sequuti hodiè sunt, qui omnes conatus eò converterunt, ut Evangelii radices resecarent, ne quid ejus esset reliquum: & sentire coacti pii inquisitionem, carceres, enses, ignem, crucem, equuleos, & quæ non alia tormentorum genera? sed animis divino zelo accensus, humanum non capit mo-

tum

tum, sed terriculamenta omnia pro risu habet & ludicro, dicebat Theodoretus. *Non successit hâc viâ, quod quærebat Satanas: alia incunda erat, ex insidiis agenda dolo res. Producuntur hæreses adversus nomen Christi, sub velamento tamen nominis Christi ad exercendam doctrinam sanctæ religionis.* De quibus elegans est Augustini illud: *Evangelium mitius pertulit sævientium regum flammas, quàm vestras patitur linguas: nam illis incendentibus unitas mansit, vobis loquentibus manere non potuit.* Notius est quæ quantaq; mala Ecclesiæ intulerit unica hæresis Arriana, ne quid nunc dicam de aliis, quàm ut verbis opus sit: distrahebat à se invicem universum terrarum orbem, pellitur in exilium magnum illud lumen Ecclesiæ Athanasius, occupantur Catholicorum templa ejectis veris Episcopis, & ingrediuntur Vulpes pariter & lupi, ut astu & tyrannide dissipent dilanientq; gregem, quem sanguine suo acquisivit Deus. Tantam exercuere crudelitatem & immanitatem Arriani, sine sexus & ætatis discrimine, ut non possit absq; lachrymis historia ejus temporis legi & cognosci. Immittuntur in Ecclesias armati milites, in quibus convenerant, qui veræ doctrinæ adhærebant, à quibus mactantur alii, pedibus obteruntur alii, in carcerem multi, in exilium mittuntur multi. Fœminæ miseris modis raptatæ trahuntur crinibus

ad tribunalia, & contumeliis indignissimis afficiuntur. Sed nondum malorum finis erat: non acquieſcit in eo Satanas, quòd in fidei doctrina evertenda tantas turbas excitaverit inter pios: pergit ulterius, ferre nequit, ut concordia & unitas conſervetur inter eos, quos in fundamentis fidei conſentire inter ſeſe animadvertit, & gravia ſerui ſchiſmata, ad hominum animos exaſperandos, ut idem dicant omnes, & mora injiciatur curſui Evangelii. Suo id jam tempore monuit Apoſtolus, quum contentiones eſſe inter Corinthios intelligeret: non ſint, inquit, in vobis ſchiſmata. Satis namq; norat, quæ quantaq; mala & damna poſſint Eccleſiæ inferre ſchiſmata: & abundè id teſtantur priorum ſeculorum hiſtoriæ, & noſtrorum temporum acta & res geſta. Non de Novatianorũ, Meletianorum, Luciferianorum, aliorumq; nunc dicam ſchiſmatibus: ne hiſtoriam potiùs, quàm præfationem videar conſcribere: ſat eſt meminiſſe, quò evaſerint Donatiſtarum contentiones, ut in hæreſin tandem abierint contendendi libidine: & ſævitiam exercuerint tum in fideles, tum in ſeipſos plusquàm beluinam. Sic eorum Laborat furor, inquit Auguſtinus, aut nos occidere, ut ſuæ crudelitatis paſcant libidinem, aut etiam ſeipſos, ne perdidiſſe videantur occidendorum hominum poteſtatem. Et ſcribit de his Optatus, quòd fregerint & raſerint altaria, fregerint calices, multis in locis parietes laverint, &

in-

& inclusa spatia salsa aqua aspergi præceperint, &c. Magnâ planè arte, inquit Baronius, schismatici, quò rudem populum execratione & odio imbuerent in Catholicos, quantum eos detestari deberent, his signis insinuare solebant, validioribus quâvis aliâ comparatâ ad persuadendum oratione. Et quis recenseat scelera, quæ fecerunt omnia? Quare perpetuò sonare debebat in auribus nostris vox ea Paulina: non sint in vobis schismata & hæreses, sed solvatur in nobis unitatis fidei & charitatis vinculum. Et ô utinam in ea incidissemus tempora, quæ ab his intemperiis libera, occasionem nobis præberent hilari animo lætoq; pectore gratũ ἐπινίκιον cantandi Deo nostro! Sed quantum absumus ab ea felicitate? Defecit gaudium cordis nostri: Versus est in luctum chorus noster. Vndiq; cingit nos malum, simulq; invadit nos gladius & persequutio, hæresis & schisma, ut vix alibi locus remanserit Ecclesiæ, præterquam in deserto. Solitudo facta est patria nostra, sive homines spectes, sive agros: illis ad eam paucitatem redactis, ut desint, qui terram colant, eaq; deserta planè & inculta jaceat. Nec desunt hæreses, resuscitatis veteribus, excitatis novis. Photinianorũ hæresin fovere Socinianos hodiè, palam fatetur Ostorodius. Et Servetũ propugnasse Pauli Samosateni doctrinã non omninò ab hâc diversã, constat è refutatione errorum Michaëlis Serveti, quam

edidit Joh. Calvinus, *cujus vixit tempore Geneva homo pessimus, & eò loci ob hæresin gravissimam combustus. Surrexit paulò post Valentinus Gentilis Italus Sacrosanctæ Trinitatis hostis infensissimus. Et incidit in eadem ferè tempore Libertinorum fanatica & furiosa secta, quæ se spirituales vocabant, quæ à Flandro quodam Coppino Insulano sumpsit originem, à Quintino fuit propagata, & à Calvino saluberrima instructione egregiè refutata. Nec verò schismatis caruerunt tempora tum superiora, tum hodierna. Testimonium ejus rei exhibent nobis* Colloquium Quedlinburgense, & Altenburgense, *nec potest id negare* liber Concordiæ. *Imprimis verò non possum absq; gravi animi dolore meminisse ejus dissidii, qui inter Augustanæ Confessionis socios de sanctissimo illo Eucharistiæ Sacramento à tanto jam gliscit tempore, animis ita exacerbatis, ut malum esse videatur incurabile & insanabile. Debebat hoc esse unitatis & Concordiæ vinculum,* docente Apostolo: *Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane & de uno calice participamus: sed ecce conversum est in pomum Eridos, Satanæ astu & dolo, magno cum piorum scandalo, adversariorũ gaudio, & cursus Evangelii detrimento & dispendio. Vtinam & ô utinam Deus tandem aliquando piis Principibus & Regibus spiritum suum*

largi-

largiatur, ut de Ecclesiæ ad pacem & concordiam reducendæ sint solliciti, idq; magnâ curâ & studio agant, quod ad hanc controversiam componendam utile videtur esse & fructuosum. Et adferant ad hoc negotium Theologi animos ab omni præjudicio liberos: non adducant sententias & opiniones jam anteconceptas, quas præfractè tueantur, non tam quòd è scripturis probentur, quàm ne negligere videantur magnorum virorum prædecessorum authoritatem, & recedere à traditione majorum, neq; scripturis, nec Augustana Confessione comprehensa. Hanc enim & ipsam ore & corde profitemur & confitemur, eo plane sensu & intellectu, quo eam intelligendam nobis proposuit Illustrissimus quondam Princeps, heros ille magnanimus Philippus Hessorum Landgravius, sanctæ memoriæ & recordationis, qui & ipse interfuit quum exhiberetur invictissimo Imperatori Carolo V, in Comitiis Augustanis, & eam subscripsit eo tempore: eodemq; sensu approbaverunt eam Superintendentes Ecclesiarum Hassiacarum in Agendis nostris anno 1566. editis, & à Principe Philippo confirmatis. §. Was auff den tag so für der Action deß Nachtmahls hergehet in gemeiner versamblung solverhandelt werden / his verbis: Bekennen vns also in diesem Articul / wie in allen andern zu der Augspurgischen Confession / vnd lehren hiervon anderst nicht / dann

er

er nechst göttlicher vnd Apostolischer schrifft in der Auspurgischen Confession verfasset vnnd von denen so sie selbst gestellet verstanden vnd erkläret worden ist: verhoffen auch hierbey vermittelst göttlicher hülff bestendiglich zu bleiben / vnnd alle vnnötige ärgerliche disputationes vnd gezänck zu verhüten. *Atq; eâ in re ut consensum nostrum testaremur, non tantùm in universum disputavi publicè biduum integrum tribuendo disputationi, ut corde & ore agnoscere Augustanam Confessionem: sed & ipso festo seculari die Thema disputationis fuit Articulus X. Augustanæ Confessionis, quam propterea volui huic libello annectum, ut argumentum esset & judicium evidens, nostras Ecclesias ab Augustana Confessione recessisse nunquam. Libenter etiam agnoscimus, & consentimus in* Concordiam Wittebergensem *inter Lutherum & Bucerum, & utriusq; partis socios initam anno* 1536. *tanquam Augustanæ* Confessioni *conformem & consentaneam per omnia. At certi sumus non fuisse piam illam animam Philippum Melanchthonem in alia à nobis sententia. Videant vir & conscientiam suam consulant, qui hanc doctrinæ formulam à pace religionis exclusam volunt, utra pars longius digrediatur à sensu* Confessionis: *certè saniores in eam fere om-*

eunt sententiam, non posse cum Articulo III. Confessionis consistere, quam noviter effinxerunt corporis Christi ubiquitatem. Ingenuè enim confitemur, nos in corporalem eam præsentiam, quâ volunt verum corpus & sanguinem Christi corporaliter in pane & vino adesse, & per modum ubiquitatis esse omnibus locis præsens, & oraliter manducari ab impiis æquè ac fidelibus, non consentire. Atq; hanc ob causam scripsi libellum hunc, ut esset testimonium nostræ confessionis: quo summam hujus doctrinæ complexus sum, & juventutem erudire volui, quomodo si quando de Notionibus Tropicis inciderit disputatio, de qua plurimùm gloriantur, qui à nobis diversum sentiunt, explicare sese & evolvere possit, ne vel incauta decipiatur ipsa, vel offensam præbeat incautis aliis, in his rebus minus exercitatis. Hunc libellum Principes Illustrissimi & Celsissimi, Domini Clementissimi V.V.V.V. Celsitud. humilimè inscribere volui. Hæc enim Confessio est, quam inde ab Illustrissimo Principe Philippo, proavo vestro derivatam ad vos esse nostis: ut ad vos confugiat meritò, hinc petitura defensionem & patrocinium. Tum verò etiam ut testarer in V.V. V.V. Celsitud. humilem meam devotionem & observantiam, pro quàm plurimis

cle-

clementer in me collatis beneficiis: quæ prædicare quidem possum, sed referre quicquam par tantis beneficiis, tantum abest, ut possim, ut ultrò meam agnoscam infirmitatem. Nam & illustrissima Princeps & Domina, Dn. Iuliana, mater vestra, Domina mea clementissima, à multò jam tempore summâ me prosequuta est benevolentiâ & gratiâ clementer, multisq; indiciis comprobavit, quòd non invita ferat ipsius Celsit. filiis, Dominis meis clementissimis, adesse me frequenter, & hortata sæpius est, sæpè eos ut accederem: honorificè etiam invitans ad hoc donis & muneribus. Eandem verò gratiam & clementiam in vobis quoq; erga me sensi uberrimè, Principes & Domini clementissimi. Nam & T. Celsit. Illustrissime Princeps Hermanne, Domine clementissime, ad se aditum mihi patefecit clementer, & privatim tum de rebus aliis non inutilibus, tum verò de Astrologicis & Meteorologicis colloqui solet benignè quàm sæpissimè: cui studio quoad per occupationes graves licet, ipsa plurimùm tribuit; egoq; me delectari eo plurimùm diffiteri non possum, dummodò ferret officii ratio, ut plusculum liceret huic incumbere. Magnum nomen tum è sapientia eximia, tum ex hoc etiam consequutus est sapientissimus ille & laudatissimus Princeps VVilhelmus T. Cels. avus, quòd commutatis scriptis cum Mathematicis præstantissimis multa & ab his didi-

cit,

cit, & adinvenit ipse multa, è cerebris & assiduis observationibus, quæ magnis etiam præconiis extollunt viri graves. Cujus vestigiis illustribus, ut insistit sedulò, ita quis futurum sit T. Celsit. nomen apud eruditos illustre, nunquam dubitaverit: quibus volupe est venerari & colere magnates, quos iisdem secum studiis sese oblectare animadvertunt. Hanc etiam Confessionem T. Celsit. Illustrissime Princeps Friderice, fovere & amplecti seriò, argumento nobis est, quòd apud Belgas in schola fortitudinis & artis militaris à longo jam moratur tempore, ubi vera & orthodoxa religio publicè docetur: ut non possit esse ea Celsit. T. incognita & commendata, adeoq; eam ob causam non invita ejusdem imploret auxilium, non indigna Patrono tanto. Vobis deniq; Principes Illustrissimi, Domine Christiane & Domine Ernesti, Domini clementissimi, quantoperè sim obstrictus, & publico Academiæ, & meo privatim nomine, verbis exprimere vix possum. Gessit uterq; Rectoratum in Academia nostra magnâ laude, & magnum decus & ornamentum non hîc solum, sed & per universam ferè Europam conciliavit eidem. Sub T. Celsit. nomine & auspiciis Princeps Christiane, me tum ProRectore innotuit, missis literis ad omnes ferè Academias & scholas illustres, Acedemia nostra; gratulantibus nobis de hâc felicitate plurimum inter alios etiam Basi-

silienſi

lienſi & Genevenſi: cujus præclarum gratulatorium ſcriptum coram fundatore noſtro ſanctiſſimæ recordationis Illuſtriſſimo ac potentiſſimo Principe ac Domino Dn. VVilhelmo Haſſiæ Landgravio &c. Domino meo quondã clemẽtiſſimo, qui Rectoratum deponeret T. Celſ. ipſo Principe ſummoperè id approbante recitabam publicè: ſuſcipiente eodem tempore Illuſtriſſimo Principe fratre Domino Erneſto Rectoratum, ſub quo & ipſi gerebam magnâ ex parte Pro Rectoratum, poſt felicem obitum D. Iohannis Matthæi I. C. & profeſſoris, cui hoc munus erat demandatum. Iucundè verò recordor, quàm clementer me habuerit utraq; V. V. Celſ. non eo ſolùm tempore, quo vices veſtræ demandatæ mihi erant, ſed & poſt id, atq; ad felicem diſceſſum veſtrum ad exteros. Atq; hinc magnâ voluptate intelligo, prædicari præclaras illas in vos collatas divinitus ingenii dotes, aliasq; virtutes Principe dignas ab exteris magnopere, in eaq; jam ætate ob perſonæ authoritatẽ & gravitatem, cum eloquentia & ſcientia conjunctam apparere & relucere in Principe Chriſtiano magni illius Mauritii patris imaginem: & Erneſto Principi decus & ornamentum ſingulare addere ingenii ſuavitatem, & ſermonis leporem. Pluribus hæc recenſerem, ni vererer ne adulationis me inſimulent alii, quibus non ſunt hæc aquè cognita atq; mihi, qui indies ferè hæc coram con-

ſpexi:

ſpexi: eaq; nunc adoleſcere & cum ætate creſcere tantò credo iis, qui viderunt, faciliùs, quantò certiùs hæc ita fore colligebam jam ante, quùm præclara ſeſe proderent ſpecimina & indicia, quæ nunc ſeſe exerunt magis magisq;. Faxit Deus Principes Illuſtriſſimi, ut brevi videamus vos reduces magno Illuſtriſſimæ matris gaudio, & patriæ commodo ac fructu.

Submiſſè itaq; rogo, pro ſingulari ea fiducia, quam de V.V.V.V. Celſit. concepi, ut ſerenâ, quod ajunt, fronte & clementer hunc libellum ſuſcipere, veritatis & veræ ὀρθοδοξίας patrocinium in vos recipere, & meam perſonam clementer, commendatam vobis eſſe velitis. Deumq; Opt. Max. precor, ut Illuſtriſſ. V.V.V.V. Celſ. quàm diutiſſimè ſervet incolumes, easq; augeat præclaris animi corporisq; dotibus ad Eccleſiæ incrementum, & Reipub. patriæq; afflictæ ſalutem. Caſſellis III. Id. Martii anno à nato Chriſto M. DC. XXXIX.

Illuſtriſſ. V.V.V.V. Celſit.

Humilimus

Joh. Combachius.

JOH.

JOH. COMBACHII Theologiæ & Philosophiæ Professoris Ordinarii in Academia Cassellana

DE EUCHARISTIA LIBER.

CAP. I.

De Nominibus Eucharistiæ.

VARIIS nominibus sanctum hoc Sacramentum & mysterium appellari constat. 1. Communionis appellatio frequens est in nostris Ecclesiis. Quæ desumpta videtur *ex Apostolo* 1. *Cor.* 10. *v.* 16. poculum benedictionis, cui benedicimus, nonnè communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonnè communio corporis Christi est? Quorum etiam ver- 1

bortum usus frequens est in nostris Ecclesiis in administratione hujus Sacramenti. *Baronius* ad declarationem hujus appellationis adducit locum *Act. 2. v. 42.* & legit ita: Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis. Et certè veterem Interpretem ita legisse annotavit *Beza in annot. maj. ad h. locum.* Verùm vulgata lectio alia est: nam in ea tanquam distincta duo in textum ponuntur, communicatio & fractio panis, & à quibusdam alio etiam sensu explicantur, ut intelligant per communicationem, facultatum & omnium officiorum Charitatis communionem, per fractionem verò panis victum communem. Quanquam aliàs ferè communiter per fractionem panis intelligitur Eucharistia: quo sensu in Syriaca versione conjunctim legitur, & in fractione Eucharistiæ. Usus est hâc appellatione Communionis *Chrysost. Epist. 3. quæ est ad Cyriacum Episcopum Esulen.* Locus quia elegans, & alia ad Eucharistiam spectantia consideratione digna complectitur, apponam integrum. Multa quidem, *inquit*, adversus me confinxerunt, & dixerunt, quòd ad communionem non jejunos recepérim. Et siquidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & non scribatur in libro Orthodoxæ fidei. Quoniam

niam ecce si tale quid admisi, abjiciat me etiam Christus è regno suo. Si autem pergunt mihi objicere & contendere, deponant & Paulum, qui postquam cœnavit, totam domum baptizavit. Deponant & Christum ipsum, qui postquam cœnatum est, Apostolis communionem dedit. Et est frequens appellatio *apud Augustinum*, ut dicatur communicatio corporis & sanguinis Christi *Epist.* 118. *Vide Baron. anno* C. 34. *n.* 47.

In specie verò, ut de vocabulo communionis dicamus, fit mentio Laicæ communionis in Canonibus, *d.* 50. *c. Si Episcopus, & accedens ad Gorgonium. dist.* 55. *c. Si Evangelica admonitio. d.* 84. *c. quisquis Clericus.* In concilio *Elibertino cap.* 76. *Sardicens. cap.* 1. *&* 2 & sæpè aliàs. Ac fuerunt, qui distinctionem ex eo desumptam existimabant, quòd Clerici communicarent sub utraque specie, ut loquuntur, Laici verò non nisi sub una. Verum *Fr. Suarez tom.* 3. *ad* 3. *p. The. disp.* 40. *sect.* 2. *ad q.* 73. *art.* 4. dicit hanc interpretationem esse difficilem: quia olim quando citata decreta condita fuere, communio sub utraque specie etiam Laicis licebat, & erat in usu: ergo non erat, cur communio sub una specie Laica diceretur. Quare qui communionem Laicam (*cujus mentio-* 2

nem faciunt Sardicense, Toletanum secundum, A gathense Concilium, Syricius & Innocentius Ro mani Pontifices) putant communionem s nius speciei, errant. Omnium enim horu & Conciliorum & Pontificum tempo bus communio sub utraque specie etia Laicis dabatur. Itaq; Laica commun denotabat discretionem plebis à Cle quo ad locum & consessum. Id docet *Concilio Tolet. 4. cap. 17.* datâ benedictio ad populum, tunc corporis & sanguinis Sa cramentum sumatur, eo videlicet ordine ut Sacerdotes & Levitæ ante altare com municent, in Choro Clericus, extra Cho rum populus. Et in *Bracar. 1. cap. 31.* ingre di sacrarium ad communicandū non liceat Laicis, nisi tantum Clericis. Hinc dixit *Laodicense cap. 19.* solis ministerio sacro de ditis ad altare ingredi, & communicare ibi dem liceat. Et ita *Fr. Suarez dicto superiu loco* de hâc Laicorum communione, suam sententiam exponit: Clerici aliquando i pœnam solùm cum Laicis, & in loco Laico rum admittebantur ad communionem; & tunc dicebatur illis permitti tantum laica communio.

Fit etiam mentio communionis pere grinæ in *Concil. Agathensi can. 1.* quæ quid si conatur exponere *dicto superiùs loco Fr*

Suarez

Suarez. Rectiùs videtur eam rem tractâsse *Baronius anno Christi* 400. *n.* 67. Summa huc redit: Chrysostomum (*secundùm Sozomenum lib.* 8. *cap.* 13.) Monachos Ægyptios à Theophylo excommunicatos ob Origenis errores, comiter excepisse, in honore habuisse, & ut in Ecclesia preces funderent, non prohibuisse: ad mysteriorum verò, h. e. ad Sacramenti corporis & sanguinis Domini communionem non admisisse, quòd id ante causam cognitam fas non esset. Et ita peregrinam communionem in primitiva Ecclesia fuisse dictam, quando peregrini advenientes, seque Christianos esse profitentes ad communes tantùm Ecclesiæ preces admittebantur: tunc verò & Sacramenta illis impertiebantur, cum se esse Catholicos fide certâ docuissent. Atq; hæc de Communionis vocabulo.

2. Dicitur in Ecclesiis nostris Cœna Domini. Usus hâc appellatione *Apostolus* 1. *Cor.* 11. *v.* 20: Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam Cœnam manducare. De quo loco *August. Epist.* 118. Apostolus, *inquit*, alibi dicit, convenientibus ergò vobis in unum, non est Dominicam cœnam manducare: hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam Cœnam vocans. Et esse communem Patrum 3

consuetudinem, omnium certè, qui interpretati sint *locum* 1. Cor. 11. ut in margine adscriptum, ut Eucharistiam Cœnam Dominicam nominent, docet *Baron. anno* C. 34 *n.* 45. Constat, *inquit*, Cœnam Domini (sic enim Patres appellare consuevêre Institutionem sacratissimæ Eucharistiæ,) idem esse manducare Cœnam Dominicam, quod Eucharistiam sumere, *Augustinus* (*de serm. Domini in monte lib. 2. cap. 7.*) demonstrat: licet eâ voce, ut aliis abuti soleant Novatores, fuisse distinctam à Cœna agni paschalis, ac post illam fuisse administratam. Quæ verò à Pontificiis adversus hanc appellationem adducantur fusè exposuit *Dan. Chamier de Sacramentis l. 6.* (qui est de Eucharistia primus) *cap. 1.* quem videat, qui volet.

4 3. Est & usitatus modus loquendi, ut Eucharistia dicatur Cœna Dominica: Græca quidem appellatione, sed frequenti usu ad Latinos etiam traducta. Ita *Tertullianus in lib. de corona militis* scribit: Eucharistia Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus. Est verò Eucharistia gratiarum actio: indeq; derivatam appellationem docet *Irenæus lib. 4.*

cap.

cap. 34. Nam quod in sacris fidelium dicitur, inquit *Augustin. lib. 2 de bono perseverantiæ cap.* 13. ut sursum corda habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonentur, & dignum & justum esse respondent. Et *in Epist.* 59. *ad Paulinum solut. quæst.* 5. (*super verba* 1. *Tim.* 2. obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, ubi quæritur, quomodo hæ voces discernendæ) scribit: Quibus peractis & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus. Ut propterea à gratiarum actione rectè dicatur Eucharistia. Potest verò Eucharistia seu gratiarum actio dici tum à parte hominum utentium eâ: tum à parte Christi. A parte hominum: quod *à Luca* scriptum *cap.* 22. *v.* 19. & *à Paulo* repetitum 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. hoc faciendum in commemorationem: & subjungit Paulus: quotiescunq; enim ederitis panem hunc &c. mortem Domini annunciabitis, donec venerit: at verò absque gratiarum actione non potest esse ejusmodi commemoratio & annunciatio. Quod *Calvinus docuit in* 1. *Cor.*

cap. 11. *v.* 26. dicens: Jam Paulus adjungit, qualis debeat memoria celebrari, nempè cum gratiarum actione. A parte Christi verò instituentis: Quod enim apud *Matt.* 26. *v.* 26. *& Marc.* 14. *v.* 22. de pane dicitur, benedixit: de calice dicitur *v.* 27. *apud Matt. & v.* 23. *apud Marcum*, gratias egit: *Lucas* verò etiam *cap.* 22. *v.* 19. *& Paulus* 1. *Cor.* 11. *v.* 24. scribunt de pane, quòd gratias egerit. Et hinc quidam Theologi ex eo Eucharistiæ vocem deducunt, quia Lucas & Paulus recitantes institutionem, dicunt Christum εὐχαριστῆσαι, quod Matth. & Marc. dicunt εὐλογῆσαι, à benedictione ea deductum nomen. Ac propterea dixisse poculum benedictionis, cui benedicimus. Vide utrumque sensum conjunctum *apud Calvinum in Harm. Evang. ad locum de institutione Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22.

5 4. Vocatur etiam corpus & sanguis Domini & Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Facit mentionem ejus appellationis *Fr. Suarez disp.* 40. *sect.* 2. *tom.* 3. *ad* 3. *part. Thom. & Baron. anno C.* 34. *n.* 48. Verba Baronii sunt: Majores idem Sacramentum appellare consueverunt Corpus Christi. Ejusmodi nuncupationem sæpiùs à Tertulliano usurpatam invenies, ut cum ait *in lib. de orat.* quòd oratio solvenda

sit

sit corpore Domini accepto: & paulò pòst: accepto corpore Domini & reservato. Et *in lib. de Idolol. c. 7.* eas manus admovere corpori Domini. Et *alibi in lib. de resurr. carnis cap.* 8, caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur. Sunt de his alia innumera aliorum testimonia, Cypriani, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, & aliorum, quæ præterimus. *Ita ille.* Hunc locum propterea adduxi, ut hinc intelligatur, quo sensu Patres sæpè dicant, corpus Christi ore manducari: nimirum id non intelligendum de ipsa substantia corporis Christi in se & ex se: sed de Sacramento corporis & sanguinis Christi. Ita *August. Epist.* 118. placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum corpus intret, quàm cæteri cibi. *Chrysost. hom.* 30. 2. *Cor.* 13. neq; enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit, eaq; præsertim de causa tàm multa oscula jungimus. *Anastasius Sinaita orat. de Sacra Synaxi:* Quid enim gravius his, quibus utimur moribus? Etenim rapinis, sceleribus, peccatorum multitudine cooperti, tantulâ modò aquâ ablutis manibus sanctissimum illud corpus, divinumq; sanguinem, pro mundi salute

lute largiter olim effusum, impuri sordidique, ori admovemus?

CAP. II.

De Definitione Eucharistiæ.

1 EUcharistiam describimus, quòd sit Sacramentum Novi Testamenti, in quo è Christi institutione mediante pane & vino corpus Christi pro nobis traditum, & sanguis ejus pro nobis effusus in remissionem peccatorum, manducandum & bibendum in commemorationem ejus nobis offertur & exhibetur.

2 Ac 1. Sacramentum N. Testamenti est: Est enim duorum Novi Testamenti Sacramentorũ à Christo nobis commendatorum Sacramentum alterum, docente *Augustino Epist.* 118. Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse & sarcinæ levi: unde Sacramentis numero paucissimis, observatione facilimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecra-

sacratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis, quæ servitutem populi veteris, pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ & in quinq; libris Moysi leguntur. *Vide eundem de doctr. Christ. lib. 3. cap. 9.* Hîc enim distinguit servitutem veteris populi, à jugo leni novi populi: & hoc distinguit jam ratione duplicis sacramenti, & aliorum in scripturis commendatorum: mentionem verò facit, non nisi duplicis Sacramenti, Baptismi & Eucharistias, quorum alterum esse dicimus id, de quo nunc agimus.

2. Quoniam verò duo Sacramentum unumquodque complectitur: signum visibile, & invisibilem gratiam, juxta receptam Augustini definitionem; Quòd Sacramentum sit signum visibile, invisibilis gratiæ: Utriusque fit mentio, in definitione. Hîc enim libenter utimur celebri illo *Irenæi* loco *lib. 4. cap. 34.* qui est à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti. 3

3. Est verò panis & vinum ante & pòst consecrationem secundùm substantiam: propterea enim duabus rebus constare dicitur 4

citur Euchariſtia: non verò conſtabit, niſi maneat ſubſtantia ipſa panis & vini: accidentia quippe panis & vini, panis & vinum ſecundùm ſubſtantiam non ſunt. Et ita Apoſtolus etiam poſt conſecrationem, quando manducatur & bibitur, vocat panem & vinum 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 28. quicunque manducaverit panem hunc, & biberit Calicem Domini indignè: &, probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat. Dicitur verò non communis panis, ratione vocationis Dei: quia ſcilicet verbum jam acceſſit ad elementum, ut factum ſit Sacramentum, ſecundùm doctrinam *Auguſtini tract.* 80. *in Ioh.* Ethæc eſt celebris illa mutatio elementorum in Euchariſtia, non ſecundùm ſubſtantiæ ipſius mutationem, ſed ſecundùm ordinem & deputationem ad ſacrum uſum: cujus meminit *Theodoretus in dialogo* 2. *qui inſcribitur In converſus*: Eraniſtes quærit: quid vocas oblatum donum ante ſacerdotis pronunciationem? Reſpondet Orthodoxus: cibum ex talibus ſeminibus: & alterum ſymbolum, cui nomen eſt poculi ſpiritum ſignificans. Quærit Eraniſtes: poſt ſanctificationem verò quomodo hæc appellas? Reſpondet Orthodoxus, corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti. Eraniſt. Credisne te per-

te percipere corpus Christi & sanguinem? Orthod. sic credo. Era. Quomodo igitur symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante sacerdotis pronunciationem, post pronunciationem verò mutantur & alia fiunt: ita Dominicum corpus post ascensionem in divinam essentiam mutatum est. Hîc jam concludit Orthodoxus. Implicatus es laqueis, quos contexuisti. Nequaquam enim post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam. Manent enim in priore substantia, & figura & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea. Intelliguntur autem quæ facta sunt & creduntur & adorantur, quasi essent illa, quæ creduntur. Vides Theodoreto dici factam mutationem, non secundùm substantiam, sed secundùm sanctificationem. *Sed ea de re infrà fusè tractabitur adversus Pontificiorum transsubstantiationem.*

4. Nec verò nuda & vacua signa ea esse dicimus; nam præter rem terrenam, etiam re cœlesti constare Eucharistiam asserimus. Sunt verò ea corpus & sanguis Domini nostri. Corpus verò illud est 1. non figuratum, tropicum aut metonymicum aliquod corpus: sed hoc ipsum corpus, quod pependit in cruce, & is ipse sanguis, qui è latere ejus effluxit, nobis in cibum & potum exhibetur. 5

hibetur. *Hinc Ecclesia canit*: hoc esse illud corpus, quod è matre Maria natum. Et asserimus panem & vinum esse symbola Christi, non absentis, sed præsentis: nec significari tantùm, sed corpus & sanguinem Domini etiam hîc exhiberi, *cum Bucero in confessione dictata Argentinæ anno* 1544.

6 2. Nec corpus per consecrationem primùm factum: ita enim non esset corpus illud ipsum, quod in cruce pependit, sed corpus alterius ac diversæ rationis à corpore eo, quod Christi est: at nos aliud non desideramus, quàm quod Christi est, quodq; pro nobis traditum est.

7 3. Nec otiosè disputamus, an corpus illud percipiamus, quatenus mortuum, an verò quatenus vivum? De quo disputatum fuit annis superioribus. Idem est enim corpus, quod pependit in cruce, cum eo quod resurrexit & vivit, & gloriosè regnat in cœlis: quod in mortem pro nobis traditum in remissionem peccatorum, & cui nunc vivo viva ejus membra inseriimur & conjungimur. Fuisse idem disputatum olim in Ecclesia Græcorum docet *Nicetas*, & ex eo *Ioachimus Camerarius in Chronol. Nicephori*. Verba Camerarii sunt: Georgio Xiphilino successit Johannes Camaterus.

Quo

Quo præsidente dissidia sunt orta ob controversiam de corporis & sanguinis Christi Sacramento. Fuerat sanè ea temporibus Xiphilini commota, neque tamen repressa. Extat Nicetæ narratio de tota re, verbosa quidem illa, sed minimè diserta. Hoc autem intelligi potest, contentionem fuisse de corpore Christi, quod alii vellent communicari sumentibus ἄφθαρτον, i. e. alienum ab omni interitu, quale resuscitatum à morte esset: alii φθαρτὸν, i. e. mortale, quale antequam in terris mortem obiret Jesus, illud fuisset. Sed litem decisam ait Nicetas, & Imperatorem assensum esse parti meliori. Ita ille. Verùm quænam fuerit ea pars melior, tacet. Et nos libenter eam controversiam, sepultam esse volumus: jam enim satrixarum & litium.

5. Requiritur verò ut corpus & sanguis Domini manducentur & bibantur. Nec enim hîc sufficit theatrica quædam actio, nudè tantùm repræsentans corporis traditionem, & effusionem sanguinis: sed ea Christi institutio est, edite, bibite. Est verò 1. Manducatio oralis seu corporalis: sed ejus objectum non nisi symbola sunt, hæc enim prout exteriùs sensibus obvia sunt, ita & oretenus manducari possunt. Corpori verò Christi ejusmodi manducatio con- 8

convenire nequit: hîc enim rectè utimur celebri illo Augustini: quid paras ventrem & dentes? 2. Est manducatio Sacramentalis; quâ Christum & ejus carnem manducamus in Sacramento: eaq; bonis & malis communis est. 3. Et est manductio spiritualis, quâ soli boni manducant corpus & sanguinem Christi. Facit duplicis ejus sacramentalis & spiritualis manducationis mentionem *August. de Civit. Dei lib. 21. cap. 25.* Ipse, *inquit*, dicens, qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, ostendit quid sit non sacramenterenus, sed revera corpus Christi manducare & ejus sanguinem bibere; hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixerit: tanquam diceret, qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Ita colligit eandem doctrinam satis bene *ex Augustino Lombardus 4. sent. dist. 9.* sicut *inquit*, sunt duæ res illius Sacramenti, ita etiam duo modi manducandi: unus sacramentalis, scilicet quo boni & mali edunt: alter spiritualis, quo soli boni manducant. Unde *Augustinus (de verbis Evangelii)* Quid est Christum manducare, non est hoc solùm in Sacramento corpus ejus

accipere, multi enim indignè accipiunt: sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem: spiritualiter enim manducat, qui in unitate Christi & Ecclesiæ, quam Sacramentum signat, manet. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etsi tantæ rei Sacramentum ad judicium sui quotidiè accipiat. Spiritualem manducationem distinguens à Sacramentali, ait: ut quid paras ventrem & dentem, crede & manducasti. Hinc iterum *Augustinus tractatu 26. in Ioh. cap. 6.* ac per hoc, *inquit*, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est.

6. Quia verò è duabus iis partibus re terrena & cœlesti fit unum Sacramentum, necessariò intercedit inter Elementa & signa visibilia, & rem significatam unio quædam: quæ à Theologis solet vocari, unio sacramentalis. Ea verò unio non requi- 9

rit necessariò loci indistantiam: quasi vel consubstantiatio quædam sit, vel conjunctio localis inter symbola & corpus & sanguinem Christi. Sed quòd ratione ordinationis & institutionis Christi, quando offeruntur & exhibentur symbola, simul etiam offerantur res ipsæ his symbolis significatæ. Ita docetur in *Concord. VVittemb. anno 36.* Quanquam negant fieri transubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti: tamen concedunt, sacramentali unione, panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt pane consecrato pane, simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. De hâc sacramentali unione *Zanch. in Confess. de Cœna Domini ad magistratum cap. 5. In summa*, fatemur, inter panem & corpus Christi tantum sacramentalem esse unionem. Quoniam verò hæc unio tantum verbo & virtute seu cooperatione Dei nititur: Ideò omnibus iis, quibus Christus hoc Sacramentum instituit, h. e. discipulis Christi, exhibetur vera communicatio corporis & sanguinis Christi tàm certò, quàm panis exhibitio: Etsi dentes corpori Christi non infigantur, & concoctio, quæ in ventriculo fit, eò non pertingat, sive visibiliter, sive

sive invisibiliter, ipseq; nunquam in cibum ventris corruptibilem evadat.

7. Fundamentum verò præsentiæ cor- 10
poris Christi in Eucharistia non aliunde petimus, quàm è verbis institutionis & promissionis Christi. Hinc enim tota hujus Sacramenti veritas dependet: indeque ejusdem in definitione facta mentio. Quòd etiam *Chemnitius* monuit *in Examine Concil. Trident. part. 2. de Eucharistiæ Sacramento ad can. 1. eamq; dicit fuisse Lutheri sententiam:* fundamentum, *inquit*, præsentiæ corporis Christi in cœna Lutherus monuit, non esse collocandum in disputatione de ubiquitate, sed in veritate verborum institutionis.

Secus tamen visum iis, *qui scripserunt* 11
librum Concordiæ, qui *in art. 7. de Cœna Domini* quatuor ponunt fundamenta, & quidem ex sententia Lutheri. Hæc *dicunt*, nostra sunt fundamenta, quibus hactenus, post motam controversiam in hoc articulo, constanter nixi sumus: quæ etiam Dominus Lutherus initiô exortæ hujus dissensionis contra Sacramentarios, sequentibus verbis, quæ recitabimus, posuit (*in Majori sua, de Cœna Domini, Confessione*) Mea *inquit ille*, fundamenta, quibus in hoc negotio nitor, hæc sunt; primum est hic articulus fidei: Jesus

Christus est substantialis, naturalis, verus perfectus Deus & homo, in una persona indivisus & inseparabilis. Secundum quòd dextra Dei est ubique. Tertium quòd verbum Dei neque fallum est, neque fallax. Quartum, Deus varios modos habet, novitque, quibus aliquo in loco esse potest: neque uno illo tantùm modo contentus esse cogitur, de quo fanatici homines nugantur, quem Philosophi localem vocant. Et Christi corpus, (inquit *Lutherus*) triplici ratione potest alicubi esse.

12 Quomodo hæc duo conciliabimus: vel Chemnitium cum Patribus libri Concordiæ, vel Chemnitium ipsum secum? Lutheranus certè erat Chemnitius, & quidem ex eorum numero, qui subscripserunt libro Concordiæ. Idem nunc negat, nunc ait, Lutherum ubiquitatem posuisse pro fundamento præsentiæ ejus Christi, qui est in Cœna. Nisi fortè dicere velimus eum in examine scribendo fuisse positum extra æstum & fervorem disputationis anno 1566. quum tanto molimine ea res nondum agitaretur: librum verò Concordiæ scriptum cum Jacobus Andreæ omnes vires eò intenderet, ut ubiquitatis dogma canonizaret. Cæteroquin nos acquiescimus

in

in unico illo fundamẽto institutionis Christi,& utraq ie manu amplectimur verbum illud Christi neque falsum esse, neq; fallax. Negamus verò illud esse Dei verbum vel Christi,quod ex ubiquitate carnis Christi, ejusdemque multiplici præsentiæ modo, hanc doctrinam astruit: nam & falsum, carnem Christi esse ubique, & falsum eidem corpori triplicem illum modum præsentiæ tribui posse & convenire,ut sit &circumscriptivè,& definitivè, & repletivè in loco.

Ubiquitas siquidem finitudini corporis, ejusdem nobiscum naturæ & essentiæ, contradictoriè repugnat. Et triplex ille præsentiæ modus à scholasticis non uni alicui entis generi assignatur, sed variat pro varietate Entium, ut circumscriptivus corporum sit, definitivus Angelorum, repletivus unius Dei proprius. Nunquam verò & nusquam, præterquam in ubiquitariorum schola legitur, uni Entium generi triplicem illum modũ convenire & competere posse. Unio verò hypostatica illa,& dextræ ubiquitas,ut à nobis in dubium non vocatur: ita ad præsens negotium nihil facit. Unio siquidem illa & dextræ Dei ubiquitas ad carnis Christi ubiquitatem nihil quicquam facit: illa namque facta

absque naturarum earundemque proprietatum destructione, ut in Concilio Chalcedonensi definitum: & ita Christus sedet à dextris Dei, ut ea non ubique, sed in cœlis facta legatur *Hebr.* 8. *vers.* 1. *Sed de ea doctrina tum alibi in doctrina de persona Christi, & in specie in libro nostro de Communicatione Idiomatum: tum etiam inferiùs in controversia Sacramentaria cum Lutheranis agetur ex professo.*

8. Finis denique & scopus Eucharistiæ est, ut fiat in Christi memoriam seu commemorationem. Quâ de re monet *Musculus in comment. cap. 26. Matthæi*, quòd in ea memoria tria spectanda. 1. Christi erga nos dilectio. 2. Ejusdem providentia. & 3. Memoriæ virtus. Nec enim tantùm dilexit suos, maximum beneficium in eos per mortem conferendo, sed & 1. in eorum animis & pectoribus vult esse jugem & perpetuam suam memoriam: 2. & ut beneficium hoc redemptionis verè prosit & suo fine potiatur, voluit providere, si nimirum in animis nostris intimè reponatur: 3. Idq; per eam memoriam quasi præsens ob oculos mentis statuatur, idq; aliquantò vivaciùs quàm si corporis esset oculis & sensibus expositum. de quibus ille agit prolixiùs.

CAP.

CAP. III.

De partibus Euchariſtiæ; Et in ſpecie, quomodo fractio panis pars ejus eſſe dicatur?

QVum ſuperioribus annis fractio panis in Euchariſtia in Eccleſias Haſſiacas introduceretur, graviter agitabatur controverſia ea, an & quomodo poſſit ea pars dici Euchariſtias, an eſſentialis, an verò Integralis? Nec enim eſſentialem dici poſſe, quòd ipſi agnoſceremus, veram fuiſſe & eſſe etiamnum Cœnam Dominicam quo ad eſſentiam & ſubſtantiam in Eccleſiis iis, quæ non adhibebant fractionem eam panis: fieri verò nequit, ut ſublatâ parte aliquâ eſſentiali maneat eſſentia & ſubſtantia rei. Sed nec integrantem dici poſſe: fractionem enim tanquam actionem aliquam verſari circa ſuum objectum & materiam circa quam, adeoque formæ cujusdam rationem induere: eſſe verò formam in indiviſibili poſitam, ut propterea pars integrans 1

fractio dici nequeat. Ea de re fusè *diſputavi eo tempore in mei Antidoti libro utroq;*. Nec enim ſatis boni illi viri didicerant, vel quæ formæ eſſent indiviſibiles, vel indiviſibilitatis modum. Nam tantum abeſt, ut omnis omninò diviſionis expers ſit forma, ut formis etiam ſubſtantialibus ſuam diviſionem aſſignent graves in primis Philoſophi, nedum in formis accidentalibus, Entium in aggregatione quadam poſitorum eam admittant. Ita *Scal. exerc. 6. ſect. 2.* docet de formis Elementorum, eſſe eas materiales, & ſecundùm materiam diviſibiles. Et eſt elegans diſputatio *apud Euſtachium à S. Paulo 3. part. Phyſ. tract. 1. q. 10.* utrum omnis anima ſit indiviſibilis: ubi docet, animam rationalem eſſe planè indiviſibilem, & inextenſam. Animas plantarum, & imperfectorum animantium ſectiles eſſe & diviſibiles. Totam verò difficultatem eſſe de animabus perfectorum animalium: Judicat tamen probabiliorem eſſe ſententiam eam: animas perfectorum animalium eſſe extenſas ac diviſibiles. Ita conſtat non eſſe generalem eam immotæ & certæ veritatis: Formam eſſe poſitam in indiviſibili, etiam ſubſtantialem. Quam tamen propoſitionem adeò certam eſſe aſſerebant adverſarii, ut non tantùm pro ea diſputa-

rent

rent acriter, sed & in eius assertione penè fundarent suam disputationem, quâ negabant, posse partem cœnæ Dominicæ fractionem panis esse. Quanquam res longè aliter sese habet in accidentibus, iisque aggregatis: in quorum certè numero Eucharistia est, constans diversis particularibus actionibus & ritibus, quorum singuli à se invicem distincti respectu Sacramenti totius partis rationem obtinent. Quod ut fiat clariùs de Eucharistiæ partibus agemus:

Harmonia Confess. in analysi ac distributione sect. 14. ponit sacræ Cœnæ materiam & formam. Materiam duplicem: signa, quæ sunt panis & vinum, & res significatas, quæ sunt Christi corpus & sanguis. Formam verò nominat ritus & Ceremonias. Et ita in corpore Confessionum, quotiescunq; fit mentio, signorum & rei significatæ, semper in margine apponit nomen materiæ. Ritus verò perpetuò formam nominat. *Bellarminus de Sacramento Eucharistiæ lib. 4. cap. 7. disputaturus de materia Eucharistiæ, docet*, inter ipsos & nos, quos adversarios nominat, constare, panem triticeum & vinum ex vite ad materiam assumendum: inde verò accedit ad controversias, an panis ille debeat esse azymus, an fermentatus: 2

& *cap.* 10. *ejusdem libri* agit de mistione vini & aquæ. De forma verò agit *cap.* 12. *ejusdem libri*, & dicit quæstionem hoc loco esse tractandam, utrum illa sola verba: hoc est enim corpus meum; &, Hic est enim calix sanguinis &c. ad formam hujus Sacramenti pertineant. Et quidem Ecclesiam Catholicam (ita nominat suo more Pontificiam) magno consensu docere, illa sola verba ad formam pertinere.

3 Sed rem eam explicatiùs exposuit *Daniel Chamier lib.* 10, *de Eucharistia*, ubi distinguit materiam in remotam & proximam, & deinde formam subjungit. Materiam nominat quæ complectitur, quicquid est externum: & remotam quidem dicit esse panis & vini: propinquam in edendo & bibendo. De forma subjungit his verbis: Agitur, *inquit*, de interpretatione sacrorum verborum, in quibus est Sacramenti forma: Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus. Distinguit verò propterea materiam remotam & propinquam: ut contra Pontificios asserat, non extra usum Sacramenti rationem habere Elementa, ut quando asservantur & reponuntur: sed in usu: utimur verò in Eucharistia debito modo, quando ex institutione Christi edimus & bibimus: *de qua infrà pluribus.*

Fili-

Franciſc. Iunius diſp. Theol. 52. quoad materiam conſentit cum Harmonia confeſſ. formam aliter aliquantò proponit. Materia, *inquit*, duplex eſt, ut cum *Irenæo* loquamur (*lib.* 4 *cap.* 34.) una terreſtris, altera cæleſtis: prima eſt panis & vinum: ſecunda, corpus & ſanguis Chriſti. Illam vulgò nomine ſigni, hanc verò nomine ſignificati deſignamus. Formam verò dicit conſiſtere in ordinatione & relatione ſymbolorum ad res ſignificatas, eamque ponit in ſignificatione, obſignatione & exhibitione. 4

Porrò quia ad formale referuntur ritus & Ceremoniæ diſtinctio neceſſariò eſt facienda: ſunt enim alii eorum ab ipſo Chriſto tum uſurpati, tum ad imitationem nobis propoſiti: alii verò ab hominibus introducti magno numero in celebrationem miſſæ. Poſterius genus meritò rejicimus, tum ob Chriſti pronunciatum *Matth.* 15. *v.* 9. ſine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum: ut ſint ita vani ejusmodi ritus: tum quia conjuncti cum jugo ſervitutis legis ceremonialis in tanta multitudine, contraria leni jugo Chriſti, cujus ſarcina levis eſt in ritibus numero pauciſſimis, obſervatione facilimis, ſignificatione præſtantiſſimis, *ut utar verbis Auguſtini*: tum 5

denique

denique quoniam ritus ejusmodi institutioni magna ex parte sunt adversi, sæpè etiam stulti in κακοζηλίᾳ quadam consistentes. Nos itaq; iis rejectis, ritus admittimus non nisi eos, qui consistunt in his, quæ Christus suos facere jusserit. Hoc mandatum non aliunde rectiùs petimus, quàm ex verbis institutionis. Esse verò quinque ea probè observavit *VVolfgang. Musculus in comment. ad cap. 26. Matth.* 1. accepit panem, deinde & poculum & dedit discipulis. 2. Gratias egit. 3. Fregit panem: hunc itaque frangendi panis usum & suis tradidit, docente Apostolo imitationem hanc 1. *Cor. 10. v. 16.* panis, quem frangimus. 4. Jussit edere & bibere. 5. addit Paulus, mortem Domini esse annunciandam. Hæc ergo si observaverimus secundùm præscriptum institutionis, certi simus, quòd non erremus: quòd si verò quidquam his vel addamus, vel ex his demamus, mens dubia hæret in agendi modo: at verò fidei contraria est omnis ejusmodi dubitatio, quæ verbo non nititur.

6 *Mentzerus in Exeg. Augustanæ Confess. art. 10. de Sacra Domini Cœna num. 10. & 15.* non absimilia his tradit de materia & forma cœnæ, si de his in genere agatur. Materia, *inquit*, in qua actio hujus Sacramenti occupatur,

gemi-

gemina est: una terrena, panis & vinum: altera cœlestis, corpus & sanguis Christi. Forma cœnæ est solennis illa certa & Dei verbo determinata actio, circa materiam hujus Sacramenti propriam. Quæ actio cõsistit in δόσει & λήψει datione & sumptione: quarum illa dispensatoris propria est, hæc communicantis sive Sacramentum sumentis. Alii ut materiam, ita & formam ponunt duplicem: externam & internam. Ut externa consistat in actionibus & verbis. Interna verò in analogia signi & signati.

Ex his nos sequentia colligimus. 1. Non 7
quæri in præsenti negotio materiam & formam propriè dictam: quæ partes substantiis, quæ sunt quid unum per se, propriè conveniunt: sed partes in hoc negotio dicuntur secundùm quandam similitudinem & proportionem. Hinc vocatur materia circa quam, & forma actio quæ circa hanc materiam versatur; indeq; non sunt omnia exactè ad rigorem materiæ propriè dictæ examinanda. 2. In eo omnes conveniunt Reformati, Lutherani, Pontificii, quòd Symbola externa suscipiant rationem materiæ. *Constat ex harmonia Confess. & nostris scriptoribus, è Bellarmino, Menzero: quorum verba citavimus.* 3. Sed & corpus Domini ejusque sanguinem esse objectum mandu-

manducationis & bibitionis, extra dubium apud omnes est: edimus enim & bibimus corpus & sanguinem Domini. At verò objectum idem est cum materia circa quam: ut propterea eo respectu nomen materiæ & his ipsis tribui & assignari possit. Atque hinc alii distinguunt inter materiam externam & internam: ut materia externa dicantur signa ea, panis & vinum: Interna verò Christus cum tota satisfactione & merito suo. 4. Strictiùs formæ vocabulum accipit in hoc negotio *Dan. Chamier lib. 6. de Eucharistia. cap. 5.* quando scribit in hunc modum: Nos in eo sumus, ut consecrationem distinguamus à forma Sacramenti, ut totum à parte. Consecrationem dicimus esse in tota Christi institutione: ut quidquid ille fecerit ad eam pertinens, nosq; facere jusserit, eo ipso consecrari credamus Sacramentum; ne excluso quidem Ecclesiæ precibus; quibus id ipsum à Deo postulatur fieri, quod eâ institutione continetur. Formam non diffitemur illis verbis contineri, quibus effectum consecrationis indicatur, nempe ut panis sit corpus, calix verò sanguis Christi. Quod cum nulla alia verba designent præter hæc, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, haud est difficile concludere, his tantum

conti-

contineri formam ſacramentalem, i.e. illud peculiare diſcrimen, quo fit, ut panis iſte, calix iſte longè ſit alius ab alio quocunque pane & calice. *Ita ille.* Strictiùs inquam hîc accipit formæ vocabulum, pro eo quod habet vim propriam determinandi ad certam ſpeciem: quæ determinatio in ſacra Cœna, quia propriè ab his ipſis verbis inſtitutionis dependet: hinc etiam maximè propriè dependere vim formalem ſtatuendum. Et inde fit, ut omnes penè controverſiæ, principales certè, ex interpretatione horum verborum ſint natæ & exortæ.

4. Latiùs utuntur formæ vocabulo, qui omnes actiones quæ ſuſcipiuntur circa materiam Cœnæ Dominicæ eo nomine appellant. Hinc ſuperiùs uti malui voce Formale, quando dicebatur ad Formale referri ritus & ceremonias, quàm forma. Nec enim propriè & in rigore forma locum habet in aggregatis ejusmodi, qualia ſunt Sacramenta omnia, & in ſpecie Euchariſtia. Quia enim actiones hæ omnes, quorum fit mentio in inſtitutione Euchariſtias, circa hujus Sacramenti materiam tanquam ſubjectum aliquod verſantur; Et per ejusmodi actiones quadantenus denominationem accipit, tum in genere aliquam, tum in ſpecie 8

ſpecie Sacramenti ejus, quod à Chriſto inſtitutum eſt, fit inde ut formalis rationem quadantenus obtineant. 5. Analogia ſacramentalis inter ſignum & ſignatum eſt forma omnibus Sacramentis communis, quæ in præſenti pro diverſitate ſubjectorum reſtringitur ad Cœnam Dominicam: ut propterea analogia hujus Sacramenti propria dependeat ex ſpeciali applicatione verbi ad elementa ſpecialia: ut propterea forma ejusmodi generica per ſpecialem ſeu ſpecificam conſiſtentem in inſtitutione Chriſti ſit reſtringenda & quaſi menſuranda. Hîc enim libenter utimur illo *Auguſtini Epiſt.* 23. ſi Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. *Ex hâc autem ſimilitudine plerumq; etiam ipſarum rerum nomina accipiunt. Et hæc de partibus Euchariſtiæ, materia & forma dicere voluimus: nunc in ſpecie de fractione, qua hodie tanquam Calviniſtarum Cæremonia traducitur, in ſpecie aliquid dicendum.*

9 Fractionem, quum uſum ea, in inſtitutione ſacræ Cœnæ, Chriſtum negare non poſſent, damnare noluerunt, qui eam impugnant, ſed indifferentem eſſe diſputabant. Adeoque non tàm uſum, quàm ejus neceſſitatem in diſputationem vocabant.

Noſtri

Nostri Theologi contra Necessitatem urgebant. Esse enim eam 1. Institutionis formæ insertam, à Christo etiã ipso usurpatam, & in medio eorum, quæ pro indifferentibus nec habita sunt unquam, nec haberi possunt numeratam: ut propterea haud aliter necessariam, atque traditionem, acceptionem, communionem necessariam esse statuamus. Itaque fides certè relinquitur dubia & vacillans, si omittatur Fractio, à Christo usurpata: sin admittatur certa est de errore, quòd errare nequeat, qui Christi actionem institutioni consentaneam imitatur. Hæc enim actio ex earum genere est, de quibus celebre illud usurpari potest: *Christi actio, nostra imitatio.* 2. Atque ita Apostoli & Ecclesia, tàm primitiva, quàm subsequens adhibuerunt hunc ritum fractionis in Eucharistia. Ita *Apostolus* 1. *Cor.* 10. *v.* 16. Panis quem frangimus: idque *sequenti capite* 11. *v.* 24. applicat ad ipsum Christi corpus, ad significandam analogiam sacramentalem eam, quæ inter symbola & ipsas res significatas intercedit, quando dicit: hoc est corpus meum, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, quod pro vobis frangitur: ut fractionis nomine designetur mortis genus, quoniam Domini corpus gravissimis cruciatibus laceratum, contu-

sum, atque fractum fuit, etiamsi non prinde fuerint fracta crura ejus, ut latronum, *ut annotavit Beza in notis ad hunc locum.* De fractionis fit mentio *apud Ignatium in Epistola ad Philadelph.* Una est caro Domini Jesu & unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est, unus etiam panis pro omnibus confractus, & unus calix totius Ecclesiæ: Gr. εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐτρύφθη. Ejusdem mentionem facit *Chrysostomus* 1. Cor. *Hom.* 24. *Cyprianus de Cœna Domini. Augustin. Epist.* 59. *In sententiis Prosperi. Vide verba apud Dan. Chamier. de Euchar. lib.* 7. *cap.* 11. Nec plane omissa ea ceremonia sub densissimis etiam papatus tenebris: Ejus enim vestigia apparent. Ita de fractione, ejusdemque partium significatione tractat *Lombardus lib.* 4. *sent. dist.* 12. *Biel eodem loco. Thomas* 3. *p.* 77. *art.* 7. Sic *in Missa Mozarabum, quæ habetur in biblioth. Patrum tom.* 4. ita legitur: Sacerdos frangit Eucharistiam per medium, & ponit dimidiam partem in patina, & ex altera parte facit particulas, ex altera vero quatuor. Deinde ponit omnes simul in patina in modum crucis: habetque quæque particula nomen. Quinque priores partes dicuntur: corporatio, nativitas, circumcisio, apparitio, & passio. Quatuor reliquæ: Mors, resurrectio, gloria, Regnum

In

Ita ibi. *Eadem repetit Casaub. exerc. 16. adversus Baronium n. 38.*

Sed hîc duo in quæstionem veniunt: 10
primum est, ad quod partium genus reducatur fractio? Secundum, an in iis Ecclesiis possit salva conscientia quis uti Eucharistia, apud quas non est in usu ritus fractionis?

Quo ad prius, disputatum fuit ea de re 11
pluribus inter Marpurgenses & Giessenses: his negantibus, posse fractionem eam partis rationem sustinere: nostris contra asserentibus, rectè eam dici posse partem. Sed inde disputari cœpit, è quo genere sit partium? Certum, ei non posse convenire aliud partium genus, nisi dicatur pars, vel essentialis, vel integralis. Qui priorem appellationem Fractioni in principio voluere applicare, facilè fuerunt refutati. Sublata enim parte essentiali, non potest salva remanere essentia & substantia rei. At verò non negabant nostri veram esse Eucharistiam quoad essentiam & substantiam, eam etiam, quæ celebrata fuerit absq; fractione panis. Itaque non poterant asserere esse fractionem partem essentialem. Hinc communiter obtinuit ea sententia, Fractionem revocari ad genus partium integrantium. Quum enim in Eucha-

ristia multæ particulares actiones concurrant, earum singulæ, si cum aliis conferantur integrantium partium rationem aliquo ex parte induere possunt, secundùm analogiam & similitudinem quandam. Necessum propriè dictæ partes sunt, quales in substantiis inveniuntur: sed uniùs totius aggregati conditiones necessariæ: ex quibus ipsum Sacramentum constat & componitur. Sed hæc disputatio levior est. *Et fusè hanc prosequutus sum, libris duobus Antidoti nomine inscriptis.*

12 Gravior altera, an quis salvâ conscientia Eucharistiâ possit uti apud eos, apud quos non est in usu hæc ceremonia fractionis? Hîc non possumus indefinitè respondere: Est enim quæstionis sensus vel generalis, vel specialis, respectu habito ad certas quasdam circumstantias. Priori sensu libenter approbamus judicium *Daniel. Chamier de Euchar. lib. 7. cap. 11. §. 15*: Etsi nolimus, *inquit*, tam severè de ea (fractione scilicet panis, in Eucharistia, de qua loquitur) contendere, ut nulla societas retineri possit cum iis, qui omittunt tamen defectum rei non exiguæ, dissimulandum non putamus: imò nec tolerandum, si tolli queat.

13 E quibus sequentia colligimus. 1. Ne-

cessi-

cessariam esse Ceremoniam Fractionis in Eucharistia, esseq; defectum rei non exiguæ, eumq; non dissimulandum, si omittatur, & quidem non tolerandum, si tolli queat. 2. Nec tamen propterea societatem dirimendam propter omissionem & neglectum ejus ritus & Ceremoniæ: neque tàm severè *inquit*, de ea contendendum, ut nulla societas retineri possit, cum iis qui omittunt. 3. Et ita meminimus uti Marpurgi Professores nostræ Confessioni addictos, ante reformationem ab Illustriss. Principe Mauritio factam, Eucharistias communione apud eos, qui erant à nostra confessione reformata alieni, sine cujusquam læsione & offensione. 4. Et ut non tolerandus defectus ille fractionis, si commodè tolli queat: ita contrà, si commodè possit usus fractionis introduci, occasio ea non omittenda, ut neque defectus ille rei non exiguæ videatur approbari. Sin doctrina propter hunc ritum periclitetur, tolerandum potiùs defectum eum, quàm ut propter eum doctrina fidei in dubium vocetur.

Hanc rem graviter docuit *Zach. Vrsinus in Epist. de ritu fractionis panis in S. Cœna ad Ioh. Casimirum*, quando suum judicium exposuit 14

de introducenda ἀρτολαξία in Ecclesias Bavaricas. Quod si, inquit, Ceremonia fractionis panis absq; dissipatione Ecclesiæ & exacerbatione subditorum erga magistratum & ministerium introduci potest: h.e. si populus ita sit in fide instituturus, ut major, vel melior, vel bona ejus pars communione Cenæ hoc ritu administratæ cupiat & instet mutationis faciat: sanè ministri ex verbo Dei & V.C. agenda Ecclesiastica, quid opus sit facto intelligent; ac opus Domini & Ecclesiæ ædificationem promovebunt. Sin prospiciant totum cœtum adversari mutationi pristinæ ceremoniæ: & multos ad cœnam accessuros & contemptum ministerii & Ecclesiæ distractiones, aut alia ejusmodi consecutura, non est quod fecerint, aut intempestiva mutatione plebis animos à se vel etiam à sacris concionibus abalienent. Igitur incipiant reformationem à doctrina &c.

Itaque apparet in genere, posse & administrari Eucharistiam absque ceremonia fractionis, & posse aliquem salva conscientia uti Eucharistia, non adhibita ea ceremonia, atque adeò cum iis, qui ea ceremonia non utantur, tum in casu necessitatis, tum si lex charitatis id postulet, & doctrina periclitetur: ita enim ad tempus, tolerandi potius,

potiùs, quàm approbanda Fractionis omissio.

In specie verò quæritur, an possit quis 15
salva conscientia uti Eucharistia apud eos, qui hunc ritum omittunt? 1. Quando ex professo ritum impugnant? 2. Quando ceremoniam tanquam notam professionis Calvinianismi proclamant? 3. Quando reformatã doctrinam tanquam Diabolicam calumniantur? 4. Quando ex professo clamitant, se admissuros neminem, quem norint esse reformatæ religioni addictum, adeoque ii ipsi, qui ad eos accedunt, coguntur dissimulare veritatem fidei, & tacitè saltem profiteri, quòd ipsorum religioni sint addicti? 5. Quando nostræ confessionis homines non dignantur, ut possint coram baptismo sustinere vices Patrini, adeoq; tanquam alienos à sua Ecclesia excludunt. 6. Quando ejusmodi communio est conjuncta cum scandalo infirmorum, ut qui reformatæ religioni hactenus fuerũt addicti, si animadvertant eos, qui vel in authoritate sunt constituti, vel doctiores habentur, atque adeò præsumunt eos rectiùs intelligere momenta doctrinæ & fidei, hinc dubii reddantur de veritate doctrinæ, ac ita scandalizentur: atque adeò infirmas

conſciẽtias offendãt, ut de religionis nostræ veritate dubitent, & temporis progressu relicta nostrâ religione transeãt ad eos, quibus fauet nostra confessio. Quòd si hæc circumstantiæ, & aliæ, quæ quotidiè in Ecclesiis nostris occurrunt, in consideratione veniant, judico non posse hominem bonâ & salvâ conscientiâ apud eos uti Eucharistia non quidem propter nudam fractionis ceremoniæ omissionem, sed ob vitium dissimulationis & scandali infirmorum, & convitia, quibus nostram confessionem in odium vocant. Eam rem erudiè *Vrsinus docuit in Epist. ad Andr. Dudithium* περὶ κοινωνίας μετ' ἑτεροδόξων: & negat posse aliquem bonâ conscientiâ in illis Ecclesiis ad Cœnam Domini accedere dissimulatâ suâ Confessione, quia le faciat suspectum approbationis falsæ doctrinæ, & præbeat scandalum datum infirmis. Nisi communio non habeatur & exigatur, tanquam symbolum approbationis, & improbationis veræ doctrinæ. Nisi priusquàm accedat apud ministros edat suam confessionem apertè, ingenuè, sine ambiguitate & involucris, & ex ipsis cognoscat, an velint & pos-

& possint eum, salvâ ipsorum conscientiâ, in hâc confessione persistentem admittere, & pro vero Ecclesiæ membro agnoscere, atque hinc ipsius postulationi, illi assentiantur. Quæ hypothesis quia ab hujusmodi hominibus non vult admitti, de quibus diximus, non potest quis apud eos, meo judicio, salvâ conscientiâ uti Eucharistiâ. *Vide alias circumstantias apud Vrsinum pluribus explicatas.*

CAP. IV.

De prima controversia circa Eucharistiam cum Lutheranis, quæ est de præsentia realis corporis & sanguinis Christi in, cum, sub pane & vino & orali manducatione corporis Christi.

1 CONtroversiæ, quæ hodiè circa doctrinam de Eucharistia agitantur, potissimùm sunt triplicis generis: Primum est cum Lutheranis. Alterum cum Pontificiis. Tertium cum Socinianis & Anabaptistis.

2 Cum Lutheranis duæ sunt Controversiæ principales: prior, de præsentia reali corporis & sanguinis Christi in, cum, & sub pane & vino in Eucharistia: in deque consequenti orali manducatione corporis Christi: altera quæ hinc sequitur, de manducatione indignorum. Huic duplici principali adhæret controversia Notionalis, quæ est de ῥητῷ verborum Christi, & an sit tropus aliquis in verbis Cœnæ

nec ne? De prima hoc capite agemus.

Ac 1. Non negamus realem præſentiam 3
corporis Chriſti in Cæna ſeu Euchariſtia. 2. Nec negamus ipſam ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia exhiberi, edi & bibi. Libenter enim amplectimur Articulum, quem ponit *Bucerus in hiſtoria de Concordiæ negotii Euchariſtici*: Credimus omnes & confitemur: In ſacra Cœna non ſolùm panẽ & vinũ adeſſe & exhiberi: ſed cum his ſignis exhibitivis, etiam corpus & ſanguinem Domini. Idque declarat: Cum pane & vino, verè & ſubſtantialiter præſens exhiberi & ſumi corpus & ſanguinem Domini. Inquit enim Dominus: accipite & comedite. Verè igitur exhibet, & accipi hoc ipſum vult, quod exhibet. Quare & accipitur ab illis, qui huic ſuo mandato obtemperant. 3. Et hinc approbamus *Concordiæ VVittebergenſis art.* 1. & 2: Sentiunt & docent, cum pane & vino verè, & ſubſtantialiter adeſſe, exhiberi, & ſumi corpus Chriſti & ſanguinem. Et quanquam non ſentiunt fieri localiter incluſionem in pane: tamen concedunt ſacramentali unione, panem eſſe corpus Chriſti, h. e. ſentiunt porrecto pane ſimul adeſſe & verè exhiberi corpus Chriſti.

4. Id

4 4. Id verò negamus, ipsis signis pani & vino ita adesse præsens corpus Domini per immediatam adessentiam corporalem, ut ita loquar, ut sit in signis, cum signis, & sub signis. Hîc enim probamus sententiam *Lamberti Danæi ad Laonicam spongiam ad 1. part:* Veram carnem & verum sanguinem Christi in hoc S. cœnæ Sacramento, id est, totius actionis & ipsorum fidelium respectu, sacramentali & pactionali præsentia, præsentem esse dicimus: cum ipsis autem cœnæ signis, in signis, sub signis, quæ etiam Sacramenta nominantur, corporalis præsentiæ modo, aut cohæsione, aut alligatione, ut vult Laonicus, aut coëxistentia reali adesse certè pernegamus.

5 5. Itaque oralem manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi negamus. Hîc enim distinguimus externa symbola à rebus significatis: ita, ut illa quidem corpore & ore mediante percipi & manducari ac bibi asseramus: hæ v. fide, seu ab interiore homine, accipi, percipi, manducari ac bibi dicamus. Docuit hanc sententiâ nostris Ecclesiis per omnia conformem *Brentius in Exegesi cap. 6. in Ioh.* Cœna, *inquit*, Dominica, duo habet: panem, vinum & verbum. Corporis os accipit panem & vinum

vinum sensu: præter panem enim & vinum aliud non sentit. Os fidei accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem, ut corpus in Sacramento habeat corporalia signa, & fides spiritualia, h.e. rem ipsam ac veritatem. Proinde ne fidei, propter quam Dominus Sacramenta dedit, voto non satisfaciat, omninò necessarium est, ut per Sacramenta non solùm vacua signa dentur, sed etiam rerum veritas, quâ sola fides contenta sit.

5. Et hinc jam aliqua ex parte definiri potest modus præsentiæ Chtisti in sacra Cœna seu Eucharistia: quòd scilicet is non sit per modum localis alicujus inclusionis, quod ne ipsi quidem Lutherani asserunt, nec per modum adessentiæ seu præsentiæ corporeæ alicujus physicæ & naturalis: sed modus præsentiæ est mysticus & spiritualis. Hic enim modus sufficit fidei, quæ non postulat, tùm aliarum rerum, tùm corporis Christi præsentiam, per modum alicujus contactus corporei, sed per modum certitudinis sui objecti, quod per signa sacramentalia offertur, & exhibetur: ut quandocunque hæc ipsa offeruntur & exhibentur, mediante verbo promissionis, certus etiam sit de oblatis & exhibitis rebus significatis corpore & sanguine 6

Domi-

Domini, quas etiam percipit, iisq; ita fruitur, ut spiritualis ea fames & sitis, quam sentit homo interior seu spiritualis, inde sedetur, nec esuriat & sitiat amplius.

7 Et ita hanc rem explicavit *Zanchius tom. 7. operum, qui est Miscellaneorum in Epist. Landgr.* Si aliquid sit dicendum de præsentia, me ita sentire: corpus Christi esse præsens, non corpori, sed spiritui meo, quòd nullis sensibus corporis mei illud percipiam, menti autem maximè, quòd illud animæ & menti meæ se verè communicet, atque ab hac verè percipiatur. Nam & oculis mentis à me videri, & manu spiritus contrectari, & ore animæ atque fide edi, mihiq́ue incorporari, & illius effectum me sentire. Præsens igitur esse animæ atque menti, me non posse inficiari: at verò præsens esse corpori, admittere me non posse. Et hæc summa est nostræ doctrinæ, quoad præsentiam & manducationem corporis Christi in cœna.

8 Contrà verò Lutherani qui volunt appellari, asserunt, præsens esse corpus Domini non tantùm in Cœna, sed & in pane & vino adesse, ita, ut oraliter etiam seu ore corporis edatur & manducetur. Assertionis partes duæ sunt: prior, quòd corporaliter adsit in pane & vino. Nam super eo, num ve-

rum

rum corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino adsint, inter nos hoc tempore conveniri non potuit, *docetur in Colloquio Marpurgensi anno 1529. art. 14.* Posterior: an corpus Domini ore manducetur. Ita enim *Chemnitius in libro qui inscribitur fundamenta sanæ doctrinæ de vera & substantiali præsentia cap. 3.* Quæstio, *inquit*, est de eo, quod in Dominica Cœna adest, quod vescentibus exhibetur, quod ore nostro accipimus, an tantùm sit panis, sive vulgaris, sive sanctificatus. De eo enim quod in cœna Dominica adest, quod exhibetur, quod vescentes ore accipiunt, pronunciat & affirmat, Hoc est corpus meum &c. Hæc verba Testamenti Filii Dei, si accipienda sunt sicut sonant, in illo genuino & simplici sensu, quem nativa, certa & scripturæ usitata ipsorum significatio reddit, certum est in Cœna Dominica adesse, exhiberi, & ore communicantium accipi, non tantùm panem & vinum, sed simul etiam corpus Christi quod pro nobis traditum est, & sanguinem ipsius, qui pro nobis effunditur. Et ita *in libro Concordiæ art. 7*: De Cœna Domini rejiciunt & damnant tanquam erroneam hanc: Corpus Christi in sacra Cœna non corporaliter una cum pane sumi: sed tantùm panem & vinum ore accipi: corpus verò

Chri-

Christi spiritualiter duntaxat, fide nimirum.

9 Itaque status controversiæ in his duobus consistit hactenus: 1. An corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino adsint? 2. an ore corporis à nobis manducentur & bibantur? Utrumque affirmant Lutherani; nos negamus utrumque. Nos negativam nostram probabimus priùs. Post de Lutheranorum affirmativa agemus.

10 Negativam defendimus: 1. è natura veri corporis Christi. 2. è requisitis præsentiæ corporalis in pane & vino. 3. è requisitis oralis manducationis. 4. è natura Sacramenti ipsius. 5. è consensu veteris Ecclesiæ.

11 1. Verum corpus humanum existens in in cœlo, non potest simul esse corporaliter præsens in pane & vino, existentibus in terris. Christi corpus est verum corpus humanum. E. Christi corpus existens in cœlo non potest esse simul corporaliter præsens in pane & vino existentibus in terris.

Vis argumenti firma est: Nam 1. non negabunt esse quæstionem de corpore Christi eo, quod post passionem ascendit in cœlos, & sedet ad dextram Dei, unde ejus

ejus reditum expectamus ad judiciũ. Indeq; docet *Apostolus* 1. Cor. 11. v. 26. Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Quæstio ergo est de corpore Christi nunc existente in cœlis. 2. Ac quia nobiscum consentiunt, præsentiam eam non fieri per modum ascensionis & descensionis: necessariò sequitur, quæstionem esse de corpore simul existente in cœlis & terris: ut quod corpus in cœlo sedet ad dextram Dei, idem simul sit præsens signis corporaliter in terris, pani scilicet & vino. At verò impossibile est, verum humanum corpus simile nobis per omnia simul & semel corporaliter existere in cœlis & terris. Impossibile ergo corpus Christi, quod per omnia nobis simile quoad substantiam, simul ac semel esse & in Cœlo, & simul & semel præsens signis in terra.

Dicent: aliam esse rationem corporis 12
purè humani, aliam verò corporis Christi. 1. Ratione unionis personalis. 2. Ratione sessionis ad dextram Patris. 3. Ratione gloriæ. 4. Ratione specialis promissionis, quâ promisit sese exhibiturum nobis corpus & sanguinem suum 5. Ratione divinæ potentiæ, quâ potest omnia.

Sed hæ exceptiones nihil ad præsens: nec enim unio personalis, vel sessio ad dextram Patris, vel gloria, vel specialis ea promissio, facit, ut corpus Christi desinat esse simile nobis per omnia, excepto peccato.

13 Itaque nos urgebimus argumentum: Corpus nobis per omnia simile quo ad substantiã, nõ potest simul & semel esse in cœlo & in terra. Tale verò corpus Christi *Hebr.* 2. *v.* 14. 17. E. simul & semel in cœlo & in terra existere non potest. Nihil hic immutat unio de substantia corporis: facta enim unio, nusquam sublata essentia naturarum propter unionem, magisque salvâ proprietate utriusque naturæ, *ut definitum in Concilio Chalcedonensi.* Nihil sessio ad dextram Patris, quæ facta non ubique, non in terris, sed in cœlo, *ut docetur Hebr.* 8. *v.* 1. Consedit in dextra sedis magnitudinis in Cœlis. Non gloria. Dotes enim glorioſi corporis non immutâsse corporis substantiam manifestum è *Ioh.* 20. *v.* 20. 27. Non denique specialis ea promissio, quæ nunc χρόνου est, & ad eam præsentiam, quam & ipsi agnoscimus æquè restringi potest, ut ad corpoream illam descendere non sit necessarium. 5. Nec denique obstat divina potentia, quam in dubium vocavimus nunquam: sed non de potentia, sed de volun-

tare promissionis divinæ nunc quæstio est: hanc probent, & de illa dubitabit nemo sanus.

Hactenus itaque quia certum est, esse corpus Christi verè humanum corpus, nobis per omnia simile: idque nunc in cœlo existit: negamus esse præsens in pane & vino corporaliter: sed præsens eo modo præsentiæ, qui verbis promissionis respondeat, ut verâ fide apprehendatur & percipiatur.

Dicent: Nos philosophari. Sed cum scri- 14
ptura: Hæc enim corpus Christi nobis describit, conceptum in utero virginis Mariæ, natum Bethlehemi, quod fuerit in navi, ambulaverit de loco in locum, quod non fuerit cum Lazaro cum ægrotaret, crucifixum fuerit, nec ubique, nec diversis in locis, sed in Golgatha, quodque cum resurrexisset, secundùm Angeli pronunciatum non hîc erat, sed alibi: & sese ostendebat post resurrectionem Apostolis, secundùm veri corporis modum & præsentiam: ut propterea noster ille philosophandi modus non sit petitus è rationis humanæ inventis, vel gentilium traditionibus, sed ex ipsis purissimis scripturæ fontibus & fundamentis desumptus & depromptus. Cum contrà adversariorum argumenta aliena omninò

à scripturis sint: ut antecedens forsan è scripturis desumant, sed hiulcâ & nullâ consequentiâ. Esse n. humanam naturam Verbo personaliter unitam scripturæ consentaneum est, & negat nemo: sed consequentiam negant saniores omnes, esse propterea humanam naturam ubique. Sedere ad dextram Patris Christum etiam secundùm humanam naturam, negat nemo. Sed humanam naturam sedere ubique tantum abest ut doceat scriptura, ut potiùs asserat contrarium. Desinant ergò objicere aliis quòd philosophentur, ipsíque agnoscant quòd ne quidem philosophentur, sed sophisticentur.

15 2. Argumentamur è requisita præsentiæ corporalis in pane & vino. Quod est corporaliter præsens in pane & vino, vel multi præsens, vel omnipræsens seu ubique sit necesse est. At corpus Christi nec est multipræsens, nec omnipræsens seu ubíque. E. corpus Christi in pane & vino corporaliter præsens esse non potest. Propositio suâ naturâ evidens est: quia enim simul & semel multis in locis celebratur Eucharistia, fieri nequit, ut corpus, multis iis locis præsens, sit vel multipræsens, vel omnipræsens: Et 2. manifesta est, è disputationibus de multipræ-

sens

sentia & omnipræsentia seu ubiquitate tanto conatu à Lutheranis agitatis. Et 3. *in lib. Concordiæ art.* 7. inter fundamenta ejus doctrinæ è majori Lutheri Catechismo adducuntur, tùm dextræ Dei ubiquitas, tùm varii modi, quibus corpus aliquod in loco esse possit.

Assumptio, tàm diu vera erit donec. 1. 16
Rem inter se componant & transigant, *de quâ in Colloquio Quedlinburgensi disputârunt Theologi Brunsvicenses & Electorales*, quorum illi multipræsentiæ studiosi ubiquitatem refutârunt, hi eandem defendendam susceperunt. *Habitum fuit colloquium illud anno* 1583. *Mense Ianuario.* De quo Judicium est *Osiandri hist. Eccl. cent.* 16. *ad hunc annum*, hoc: ut novum schisma in Ecclesiis Evangelicis (quo ad ejus fieri posset) caveretur, de voluntate Electorum & Ducis Brunsvicensis Quedlinburgi in Saxonia convenerunt delecti Theologi ad Colloquium, ut de Majestate Christi (ubiquitatem vocant) amicè inter se conferrent. Et ex parte Electorum collocutor erat D. Timoth. Kirchnerus. Ex Brunsvicensium verò parte D. Tilem. Heshusius. Etsi autem Electorales Theologi de sua diligentia & fide nihil reliquum facerent: tamen Heshusii & collegarum ejus pertinacia effecit, ut sine

ullo fructu colloquium illud dissolveretur. Neque in hodiernum usque diem hoc schisma ad concordiam reduci potuit. Hactenus itaque inter Lutheranos nondum constat, an fiat corporalis ea præsentia per modum multipræsentiæ, an vero per modum omnipræsentiæ seu ubiquitatis.

17 2. Componant inter se *Tubingenses* & *Marpurgenses* gravissimam controversiam de ubiquitate: quorum illi ex utero matris, ex unione personali derivant ubiquitatem: hi potentiam ubiquitatis ex unione personali deducunt, actualem verò non nisi è sessione ad dexteram Patris, cum qua primum initium eam accepisse disputant. Ex omnipræsentiam eam hi definire malunt per modum actionis, scilicet per modum gubernationis & regni: Ita tamen ut adessentia substantialis cum ea gubernatione sit conjuncta. Hanc litem prius componant, ut quid Monstri sit ubiquitas ea fictitia agnoscamus, & in hac disputatione præcognitum illud Quid nominis ante omnia cognitum habeamus, quo sine disputatio omnis vana: nec enim asserere licet quidquam de quoquam, de quo ne quidem quid ipsum sit, saltem quoad nomen, præcog-

tum habeamus. Nec enim satis adhuc de eo constat inter Lutheranos.

Aliàs certè nec 1. unio personalis, nec 18
2. sessio ad dextram Dei, nec 3. varii essendi modi in loco, quidquam faciunt ad asserendam vel multipræsentiam, vel ubiquitatem. Scriptura asserit unionem personalem: sed nusquã & nunquam vel multipræsentiæ illius, vel omnipræsentiæ facit mentionem. Itaque nobis placet *in* hac causa *Iudicium Heshusii in Colloquio Quedlinburg*: In iis, quæ ratione nostrâ comprehendi nequeunt, quæq; in verbo Dei non exprimuntur, ut in mysterio Trinitatis: non decet consequentias nectere: ita res sese habet in hoc mysterio de unione personali. Omnes fideles fatentur unionem naturæ utriusq; in Christo esse rem incomprehensibilem. Quare non licet ita concludere, quòd ubicunque naturâ alterâ est, ibi necessariò sit & altera. Infiniti ad finitum nulla est proportio. Et tamen credimus esse inter se unitas eas duas naturas. Et ut Domini videant, non posse ex hoc argumento de unione personali ubiquitatem affirmari & concludi: considerent quæso dicere Christum *Ioh.* 11. *v.* 15. gaudeo quoniam non eram ibi. Non ergo quum mortuus esset Lazarus in Bethania, Christus ratione suæ

humanæ naturæ, fuit ibi, sed in itenere. Cum Christus cum pependit in cruce, & sanguinem suum pro peccatis nostris effudit, corpore suo non fuit vel Romæ vel Athenis. Quòd si itaque unio personalis soluta non fuit, si vel maximè eo tempore divinitas fuerit ubique: corpus verò Christi non fuit ubique, sed uno tantùm loco. E. è personali unione ubiquitas non potest inferri & concludi. Argumentatur hinc: Quæ stante unione hypostaticâ asseruntur à Spiritu Sancto, hæc non solvunt unionem hypostaticam. Sed Spiritus Sanctus affirmat, corpus Christi fuisse in uno loco, cum tamen divinitas impleverit omnia, Spiritus Sanctus non solvit unionem. E. ex unione personali non potest extrui ubiquitas.

19 2. In eundem modum negat sequi è sessione ad dextram Dei ubiquitatem. Tametsi enim corpus sedet ad dextram Dei, ipsa tamen dextra non est: esset itaquin divina natura, quod non est. Ideoq; certo loco esse, cum sessione ad dextram Dei bene potest subsistere. 3. Quòd vel numerantur diversi modi essendi in loco, ad rem præsentem non facit: ij enim diversi modi non corpori, sed diversis rerum generibus tribuuntur: ita, ut Deus dicatur esse in loco

in loco repletivè, definitvè spiritus: at corpori non tribuitur modus essendi in loco nisi circumscriptivè. Hîc enim libenter utimur illo *Augustini Epist. 57. ad Dardan.* spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Loquitur verò in ea Epistola de corpore Christi & ex professo disputat, non esse illud ubiq;: & concludit, secundùm hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hanc, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus.

3. E requisitis oralis manducationis. 20
Oralis manducatio est ordinata ad conservationem naturalem humani corporis. Manducatio corporis Christi non est ordinata ad conservationem naturalem humani corporis. E. manducatio corporis Christi non est manducatio oralis. Propositio patet è fine manducationis oralis, quæ ad corpus nostrum alendum & conservandum est ordinata & destinata. Et hinc *Augustinus* toties distinguit Os cordis & corporis *de Trin. lib. 15. cap. 10. in Psal. 125.* Eamque distinctionem deducit è *Matth. 15. & Marc. 7.* quorum illud ad bonas vel malas

cogitationes, hoc ad corporis alimoniam sit ordinatum & destinatum. Hinc enim Christus dicit, quod ingreditur in os corporis, non ingreditur in cor, sed in ventrem & secessum. *Marc.* 7. *v.* 19. Unde ita argumentamur: Quod ingreditur ventrem & ejus superfluum ejicitur per secessum, ordinatum est ad naturalem conservationem humani corporis: nam ingreditur ventrem ut præbeat alimoniam, & superflua ejiciuntur, ne morbos & ægritudines humano corpori inferant. At quod oraliter manducatur, ingreditur in ventrem & secessum. E. quod oraliter manducatur est ordinatum ad conservationem naturalem humani corporis. *Vrgemus*: Quod ingreditur in os corporis, non ingreditur cor: at corpus Christi ingreditur cor. E. non ingreditur in os corporis. Assumptio manifesta est: ita enim inter se distinguuntur Manna & corpus Christi, *Ioh.* 6 *v.* 48. 49. 50. quòd qui manducaverunt illud, mortui sunt, at qui edit corpus Christi, non moriatur, sed vivat in æternũ: nam propterea è cœlo descendit, ut ne moriamur, sed vivamus in æternum: non ergò ad naturalem corporis morti destinati alimoniam, sed ad spiritualis hominis conservationem est ordinatum corpus Christi.

Dicit

Dicent: Loqui propositionem de physica seu naturali manducatione orali: at verò esse hanc oralem manducationem aliam & diversam ab illa. Ita enim *Chemnitius in libello qui inscribitur Fundamenta sanæ doctrinæ, de vera & substantiali præsentia cap. 5.* docet: triplicem esse manducationem in Cœna Dominica. Primam esse manducationem panis, quæ rectè & propriè vocetur physica: alteram esse manducationem corporis Christi, quæ licet non fiat physicâ & crassâ ratione, ore tamen fieri: & hanc vetustâ appellatione vocari sacramentalem manducationem. Tertiam esse spiritualem manducationem. 21

Sed 1. hoc est χρινόμενον, an præter naturalem & physicam sit quædam manducatio oralis alia: Ideoq; nobis firma erit propositio, donec oralis alia diversa ab hâc probetur. 2. Sacramentalem manducationem corporis Christi nec ipsi negamus, Et dicimus *cum Augustino lib. 21. de Civ. Dei cap. 25.* differre inter se Sacramentotenus, & revera corpus Christi manducare, & ejus sanguinem bibere. Nec tamen propterea oralem dicimus, ut tantum Sacramentum à communi & vulgato cibo distinguamus. Itaque quum unumquodque recipiatur secun- 22

secundùm modum recipientis: Corpus & sanguis Christi verò sint nobis cibus & potus spiritualis: negamus posse ore corporali percipi, sed spirituali.

23 *Dices*: si corpus Christi est verum corpus, ergò necesse est ut modo corporeo percipiatur: unumquodque enim cognoscitur prout est in se ipso: ut corpus Christi corpus est, non spiritus: ergò corporeo, non spirituali modo percipiatur necesse est. Sed distinguendum est inter rem ipsam, & modum participationis. Ipsum corpus verum est corpus quoad substantiam, etiam post glorificationem: id verò non impedit, quo minùs modus participationis sit spiritualis: Nam de eodem corpore Christi *loquitur Ioh. 6. Christus*: Omnes tamè concedant, eo ipso loco agi de spirituali ejus corporis mãducatione. Itaq; fieri rectè potest, & est necessarium, ut ipsa corporis Christi substantia spiritualiter, verè tamen non imaginariè, à nobis verâ fide percipiatur & manducetur.

24 4. E natura Sacramenti ipsius sic argumentamur: Si eædem res signis Sacramentisque veteris & N. Testamenti offeruntur, mutatis tantùm symbolis, & mutata tempora

poris circumstantiâ: nec præsentia corporalis in signis, nec manducatio oralis locum habere potest. Sed offeruntur res eædem signis Sacramentisq; Vet. & Nov. Testamenti, ut tantùm mutentur symbola, & temporis circumstantia. E. nec præsentia corporalis in signis, nec manducatio oralis locum habere potest. Propositionis connexio ex eo manifesta est: Si enim in utroq; testamento res eædem offeruntur, ut in Novi Testamenti Sacramento necessaria est præsentia ea corporalis, & oralis manducatio, ita esset necessaria in veteris quoque testamenti Sacramentis & signis. At tantum abest, ut præsentia ea corporalis & oralis manducatio fuerit necessaria, ut ne quidem esse potuerit nondum exhibito Christo in Carne. Nec ergò vel est, vel necessaria est in Sacramentis Novi Testamenti tum præsentia corporalis, tum oralis ea manducatio. Assumptio nostra *Augustini est lib. 19. contra Faust. Manich. cap. 16.* adversus calumniosam imperitiam Fausti demonstrare sufficerit, *inquit*, quanto errore delirent, qui putant signis Sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus Prophetícus pronunciavit promissas, & quas ritus Evangelicus

cus annunciavit impletas: aut qui censet cum res eædem sint, non eas aliis Sacramentis annunciari debuisse complendas quàm iis quibus adhuc complendæ pronunciabantur. Si enim soni verborum quibus loquimur, pro tempore commutantur, eademque res aliter enunciatur facienda, aliter facta, nec paribus moratis intervallis, nec iisdem vel totidem literis syllabicis sonuerunt: quid mirum si aliis mysteriorum signaculis passio & resurrectio Christi futura promissa est, aliis jam facta enunciatur; quandoquidem ipsa verba futurum & factum, passurus & passus, resurrecturus & resurrexit nec tenditer, nec similiter sonare potuerunt. Quid enim sunt aliud quæque corporalia Sacramenta, nisi quædam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, veruntamen mutabilia & temporalia.

25 E quibus nos sequentia deducimus: 1. In Sacramentis Veteris & N. Testamenti offerri res easdem, mutatis tantum signis & Sacramentis, h.c. symbolis. 2. Et hæc signa esse temporalia & mutabilia: res verò diversis ritibus pronunciatas & completas easdem. 3. In re significata notari tantùm temporis differentiam; quia Sacramenta Vet. Testamenti prænunciativa erant

erant Christi venturi, *ut loquitur lib. eodem*; *cap.* 13. nostra verò esse indicia rerum completarum. Nam eadem credebant, eademque sperabant omnes justi & sancti etiam temporum illorum, & promissiva erant illa omnia Sacramenta, omnisque ritus ille sacrorum: nunc autem revelata est fides, in quam concluſus erat populus, quando sub lege custodiebatur, *ut loquitur cap.* 14. *ejusdem lib.* 4. Docet etiam quænam propriè Sacramenta sint, de quibus loquatur: facit enim mentionem eorum Sacramentorum, quibus jam facta annuncietur passio ejus & resurrectio, & nominat *cap.* 14 *ejusdem libri* Baptismum Christi, & Eucharistiam Christi: nam baptizari nos in mortem ipsius & consepelìri cum illo per Baptismum in mortem, ut cum ipso resurgamus, *scriptum est Rom.* 6. *v.* 3. 4. *Col.* 2. *v.* 12. Eucharistiam verò celebrandam, ut quotiescunque manducaverimus panem hunc, & biberimus calicem, mortem Domini annunciemus, donec veniat, *docet*, 1. *Cor.* 11. *v.* 26. 5. Eadem ergò Sacramenta quoad rem significatam & substantiam in V. & N. Testamento, mutatis tantùm symbolis & differentia temporis observata, quòd illic proponatur Christus exhibendus, hîc exhibitus. 6. Hinc itaque nos con-

concludimus, quia quoad ſubſtantiam pa-
ponitur & offertur unus I. Chriſtus heri &
hodie, ipſe & in ſecula *Heb. 13, v. 8.* Idem
agnus occiſus ab origine mundi *Apoc.*
v. 8. atque eſt una fides, unum corpus,
ſpiritus, una ſpes vocationis, unũ Bap-
Epheſ. 4. v. 4. unus idemque modus ju-
candi & in veteri Teſtamento, exem-
Abrahami & Davidis, & in N. Teſtamen
Rom. 3. Fieri nequit, quin res ſignificat
eadem, ejusdem fructus, virtutis, efficac
modus ergò percipiendi eandem rem ſigni-
ficatam idem, ut eodem modo in hoc cor-
pus inſerantur Patres V. & N. Teſtamenti:
nec enim erit idem modus inſeren
fuerit idem modus eandem ſub
participandi: nec ſequetur idem
virtus eadem, eadem quoque
ſi non eodem modo ſubſtantiam
nobiſcum, & conſequenter fructum
caciam ex hâc ipſa ſubſtantia emanan
perceperint. Ergò idem modus pr
tiæ: qui enim eandem rem eodem
quo ad ſubſtantiam perceperit, eodem
do eandem rem ſibi præſentem habeat
eeſſe eſt. At verò non erat neceſſaria
V. Teſtamento præſentia corporalis ea,
oralis manducatio. Nec ergò neceſſarium,
ut in Novi teſtamenti Sacramentum pr-

sentiâ ejusmodi corporalē & oralē manducationē inferamus. *Confer ad hoc argumentum ἀπόδειξιν Sadeelis in libr. de Sacr. manduc. cap. 2.*

Hic v. clamant, longè esse aliam & diversâ 26
rationem Sacramentorū veteris, atq; Sacramentorum N. Testamenti: scriptum enim *Col. 2. v. 17.* esse in illo umbram futurorum, in novo a. ipsum corpus Christi. *Dices ergò:* non esse eandem rationem Sacramentorum V. & N. Testamenti: illis enim typos & umbras contineri, non Christum ipsum: at verò in Sacramentis N. Testamenti, umbris V. Testamenti cessantibus, ipsum Christi corpus exhiberi. *juxta illud Col. 2. v. 2.* quando de Ceremoniis Veteris Testamenti dicit, quòd sint umbra futurorum: corpus autem Christus. Esse præterea majorem præstantiam Sacramentorum N. Testamenti, atque Sacramentorum Testamenti Veteris: eam verò præstantiam non posse aliunde rectiùs æstimari, quàm ipsâ corporis Christi præsentiâ.

Quoad prius, negamus conferri eo loco 27
Apostoli Sacramenta cum Sacramentis: sed ceremonias legales Veteris Testamenti cum Christo ipso in N. Testamento nobis exhibito. Certò namque ceremoniæ eæ non nisi typi erant, sub umbris quibusdam demonstrantes nobis Christum, cujus

corpus in Novo Testamento nobis exhibitum. Negamus verò hinc rectè propterea inferri, Christum in Novo Testamento in Sacramentis oraliter & corporaliter manducari: Non enim si ipsum Christi corpus in N. Testamento per incarnationem verè est exhibitum corporaliter & oraliter mãducari à nobis necesse est: sed satis est, si manducetur spiritualiter. Nam & *Christus Ioh. 6. v. 50. 51. dicit*, se esse panem de cœlo descendentem, scilicet per incarnationem, quando verbum caro factum est: Etsi tamen eodem illo loco agit de corporis hujus manducatione spirituali: quod ex effectu patet: quòd qui ex ipso manducaverit, non moriatur: Effectus verò ille, non nisi manducationi spirituali, conditionibus ipsis etiam adversariis, tribui & assignari rectè potest. Hinc *August. tract. 26. in Ioh.* hunc panem significat manna, hunc panem significavit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt. Audi *Apostolum* 1. *Cor.* 10. omnes eandem escam spiritualem manducaverunt. Spiritualem utique eandem. Nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud? spiritualem verò quam nos. *Et adjungit*: Et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Aliud illi, aliud nos,

nos, sed specie visibili: quod tantum hoc idem significat virtute spiritali. Sed urges præstantiam: melioris enim Testamenti sponsor dicitur factus esse Christus *Hebr.* 7. *v.* 22. quod *idem Apostolus* docet *cap.* 8. *ejusdem Epistolæ ad Hebr.* Sed eo loco Apostolus confert Vetus & Novum Testamentũ, quorum hoc præstantius illo: q Christus jam sit exhibitus consumando & adimplendo ea, quæ fuerant promissa & præfigurata V. Testamenti ritibus & ceremoniis: Id verò nihil facit ad præstant-ĩ saltem substantialẽ Sacramentorum horum præ Sacramentis illis.

2. Quod si tamen quædam sit dignitatis & præstantiæ prærogativa, ea non substantialis est, sed accidentalis: modo significandi differens, non re significata. *Vtrumq; docuit Augustinus prius lib.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 9. Hoc, *inquit*, tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Jesu Christi manifestissimum judicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus operatione gravi onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facilima, & intellectu augustissima, & observatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio corporis & sangui-

nis Domini. *Ita ille. Vide idem* Epist. ad
29 Nulla hîc in substantia differentia, sed in circumstantiis. Esse enim eandē Sacramentorum substantiā, idem docuit *contra Maximinum Arr. Episc. libr. 3. cap. 23:* Hæc Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, aliud significantia. Si ergò illa quæ significantur, intelliguntur, ipsa inveniuntur unius esse substantiæ: tanquam si dicimus, Petra & aqua unum sunt, volentes per Petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum. Quis dubitat Petram & aquam diversas esse naturas? Sed quia Christus & Spiritus S. unius sunt ejusdemque naturæ, ideò cum dicitur Petra & aqua unum sunt: ex ea parte rectè accipi potest, quia istæ duæ res, quarum est diversa natura, aliarum quoque signa sunt rerum, quarum est una natura. Vides Augustinum signorum Veteris & Novi Testamenti diversitatem non attendendo propriè, unitatem Sacramentorum agnoscere respectu rei significatæ, & gratiæ invisibilis ejusdem, quæ in utr. usque Testamenti Sacramento proponitur. *Vide in eam sententiam elegantem disputantem Sadeelem de Sacram. manduc. corporis Christi cap. 4. ad object. 4.*

5. Ex

5. Et in hac doctrina consentit nobis- 30
cum purior Antiquitas. Elegantissimè rem eam prosecutus est *Oecolampadius in Dialogo, in quo ostenditur, quid de Eucharistia veteres Ecclesiæ Doctores tùm Græci, tùm Latini senserint: Et eorundem testimonia olim à Philippo Melanchthone, collecta, accuratè & placidè expenduntur. Liber est lectu dignissimus: ad quem brevitatis studio remittimus studiosos. Nos insigniores aliquot tantùm annotabimus.*

Insignis locus apud *Chrysostomum* est *in* 31
Matt. cap. 26. hom. 83. totus noster: Cedamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: superet & sensum & rationem nostram quæso ipsius: quod in omnibus & præcipuè in mysteriis faciamus, non illa quæ ante nos jacent solummodò aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non possumus, sensus verò noster deceptu facilimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergò ille dixit: Hoc est corpus meum, nullâ tenemur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus sensibilibus; omnia verò quæ tradidit in sensibilia sunt. Sic & in Baptismo per-

aquam, quæ res sensibilis est, donum [illegible] conceditur: quod autem in ea conficitur regeneratio scilicet ac renovatio intelligibile quiddam est: nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradi tibi; quoniam verò corpori conjuncta anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.

32 E quibus nos sequentia deducimus. Inhærendum nobis esse Christi verbis, non sensui ac rationi esse acquiescendum: ita non sensibilia tantùm, sed & intelligibilia in hoc mysterio consideranda: Et hæc in sensibilibus intelligenda tradi. Idq; propterea fieri, quia anima copori conjuncta est: verò futurum, si incorporei essemus: tum enim ipsa dona incorporea nudè traderum fuisse Christum.

33 2. Itaque docet duo esse in hoc mysterio distinctè consideranda: sensibile, & intelligibile, seu insensibile, seu donum incorporeum: & hoc fide & oculis intellectus prospiciendum. 3. Et rem illustrat exemplo Baptismi; in quo sit & res sensibilis, aqua nimirum: & intelligibile quiddam, quod in ea conficiatur, regeneratio scilicet ac renovatio: & hoc intelligibile quod in utroque Sacramento proponitur pariter vocat donum incorporeum. 4. Quid verò sit

sit incorporeum illud, illustrat inferiùs his verbis: veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, quâ mensâ fruaris. Eâ namque re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem qui inde resilit aspicere possunt, & nos in unam cum illo massam reducimur, Christi corpus unum & caro una. *Et paulò pòst*: proprio corpore nos alit, & sibi conjungit atque conglutinat. *Et paulò inferiùs*, vocat mensam spiritalem, & alimentum spiritale. Non videtis, *inquit*, quanta infantes animi alacritate mamillas accipiunt? quâ pressione papillis infigunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, & ad hujus calicis spiritualem accedamus papillam: imò verò majore desiderio quasi lactentes pureri sugamus: unus sit nobis dolor, una mœstitia, si hoc ALIMENTO SPIRITUALI PRIVAMUR. Hinc *idem* Chrysost. *in cap.* 8. *Matth. hom.* 27. hoc ipsum, semetipsum nobis cibum dare, nominat epulas spirituales.

5. Et hinc distinguit ministerium, ratione externæ administrationis, ab interna actione, quæ in hâc mensa perficiatur. Non sunt, *inquit*, humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit: ipse nunc 34

quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat & transmutat ipse est. Cum discipulis, *inquit*, meis facio Pascha: hæc enim illa, nõ alia mensa est, hæc nullâ re minor, quam illa est. Non enim illam Christus, hanc homo quispiam fecit: sed utramque ipse.

35 6. Distinguit etiam eos, qui ad hanc mensam accedunt: ità ut sint, qui suscipere nolint suâ culpâ: fideles verò corpore ipso nutriantur. Et de Juda dicit, quòd panem assumpserit. Verba ejus sunt hæc: Consideremus autem, *inquies*, licet apertè ad omnes pertineat. Nam si ad naturam nostram descendit, patet quoniam ad omnes: quòd si ad omnes, & ad unumquemq; profectò. Sed quomodo non omnes inde lucrum consecuti sunt, inquies? Id certè non illius caussa, qui maximè hoc optat, accidit: sed eorum culpâ, qui eum suscipere nolunt. Singulis enim fidelibus per hoc mysterium se conjungit: & quos peperit, non alii nutriendos tradit, sed ipse studiosissimè alit, hâc etiam re tibi persuadens, carnem illam tuam assumpsisse. Vides hinc gratiam Sacramenti offerri omnibus: sed non percipere omnes Christum ipsum, eò quòd suscipere nolint: fideles verò quos peperit eosdem nutrire & alere. Itaque omni-

omnibus offerri largimur cum Chrysostomo: nutriri & ali non nisi fideles. Hi ergò soli manducant & bibunt. *de quo infrà latiùs dicetur.* Hinc *subjungit paulò post Chrysostomus*: omnes igitur simplicitur pellamus, quos indignè accedere videmus. Nullus communicet, nisi ex discipulis sit, nullus impuro animo, sicut Judas panem assumat, ne similia patiatur. Ex his omnibus patet, esse eandem nobiscum Chrysostomi sententiam: esse hunc cibum spiritalem animæ, non corporis. Hominis non exterioris, sed interioris: non esse manducationem oralem & corporalem, sed insensibilem, intelligibilem, incorpoream. Ut propterea opus non sit præsentiam corporalem, in, cum, & sub pane & vino tantoperè urgere.

Dices: Chrysostomum interim mentionē 36
facere manus, oris, linguæ: & tradi ac concedi Dominicum corpus & sanguinem etiam indignis. Chrysostomi enim verba sunt *dictâ hom. 83. in Matth:* Quâ igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est: quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat, os quod igne impletur spiritali, lingua quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? *& infrà*: Animam

priùs tradam meam, quàm Dominicum ab cui corpus indignè: sanguinemque meum effundi potiùs patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam. Quod si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est. Nam hæc mihi de notis ac manifestis disputata sunt. Verùm non hęc intelligenda esse secundum literam, quivis facilè intelligit, ut corporalem ejusmodi præsentiam & manducationem oralem concludere hinc liceat. Corona, ignis spiritalis satis arguunt, qualis cruentatio ea linguæ sit, cujus hoc loco fit mentio: esse nimirum omnia intelligenda spiritualiter. De quo ut dubitemus *minus facit locus Chrysost. lib. 3. de sacerdot.*: dum conspicis Dominum immolatum, inquit, Sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusam precioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari atque in terrâ consistere censes? annon potius è vestigio in cœlos transferris, annon carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo animo, mente purâ circumspicis, quæ in cœlo sunt? ô miraculum, ô Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti.

Fit autem id nullis præstigiis, sed apertis ac circumspicientibus circumsistentium omnium oculis. *Hæc ille.* Cruentatio ergò illa, de qua Chrysostomus loquitur, spiritalis tota est, fidei objectum, non externi vel corporis vel hominis. Quemadmodum enim in baptismate oculus fertur in aquam exteriorem: verùm fides in spiritu hic intuetur virtutem sanguinis Christi, & in ejus oculis positum est flumen totum rubeum sanguine Christi tinctum, *ut canit Lutherus*: ita hîc os apprehendit symbola: sed fides iis mediantibus concipit corpus & sanguinem Christi: hæc est corona illa, ignis spiritalis, spiritualis cruentatio.

Dices: fieri interim mentionem manus, 37
oris, linguæ. At verò id scripturæ solenne est, ut exprimantur membra, & tamen intelligatur cultus spiritualis. *Hebr.* 13. *v.* 15. *scriptum est:* per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, i. e. fructum labiorum confitentium nomini ejus. Labiorum fit mentio: cultus tamen spiritualis est. *Rom.* 12. *vers.* 1. *jubemur* exhibere corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: non tamen corporale illud, sed rationale vocatur obsequium. Itaque quatenus membra sunt subordinata interiori actioni fidei, & ejus sunt organa & instrumenta: hinc membris sæpè tribui-

tur quod spiritus seu fidei opus est. Ita manus dicuntur esse pollutæ sanguine & digiti iniquitate: & labia loqui mendacium *Esa. 1. v. 15. & 59. v. 3.* Et jubemur orare in omni loco, levantes puras manus sine ira & disceptatione 1. *Tim. 2. v. 8.* Sed iniquitas in animo & corde potissimũ sita est *Marc. 7. v. 21. 22. 23.* Externis tamen mẽbris hæc tribuuntur: quia inserviũt cordis vel puritati, vel iniquitati. Ita os, manꝰ, lingua, quatenus accipiũt symbola ordinata ad significãdã gratiam spiritualẽ, fit ut membris iis tribuatur, quod fides in ea actione intuetur. Ita namque quod *in lib. 3. de Sacerdotio*, quando turba circumfusa dicitur tingi pretioso illo sanguine & rubefieri: docet jam non nos versari in terris, non inter mortales, animo nudo, mente purâ circumspicere, quæ in cœlo sunt. Itaq; de phrasi Chrysostomi simili, simile ut feramus judicium necesse est.

38 *Sed dices*: Interim indigno etiam tradi & concedi corpus Dominicum, & sanguinem Dominicum. Id vel sacramentali locutione intelligendum esse, vel ex intentione Ministri omnibus pariter & indifferenter ex institutione Dominica mediantibus signis offerentis eandem gratiam: non verò à parte participantis seu communicantis, infrà pleniùs docebitur, quãdo de mãducatione Indignorũ sermo nobis erit. Eo-

Eadem cum Chrysostomo *Augustini* sen- 39
tentia est *passim. Lib. 21. De Civ. Dei cap. 25.* scribit in hunc modum: Qui est in ejus corporis unitate, i. e. in Christianorũ compage mẽbrorũ, cujus corporis Sacramentum fideles cõmunicantes de altari sumere cõsueverũt, verè dicendus est manducare corpus Christi & bibere sanguinem Christi. Ac per hoc hæretici & schismatici ab hujꝰ unitate corporis separati, possunt idẽ suscipere Sacramentũ, sed nõ sibi utile, imò verò etiá noxium, quò judicentur graviùs, quàm vel tardiùs liberẽtur. Non sunt n. in eo vinculo pacis, q̃ in illo exprimitur Sacramẽto. Sed rursus etiá isti, q̃ rectè intelligunt, non dicendũ eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi &c. Deinde subjungit de iis, de quib. loquitur *Apostolus Gal. 5. v. 21*: Quoniam qui talia agunt, regnũ Dei non possidebũt. Nec isti ergò dicẽdi sunt mãducare corpus Christi, quoniam nec in mẽbris computãdi sunt Christi. Ut n. alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi, & membra meretricis. Deniq; ipse dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinẽ meum, in me manet, & ego in eo. Ostendit quid sit non Sacramẽto tenus, sed revera corpus Christi manducare & ejus sanguinem bibere. Hoc est enĩ in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixerit, tanquam

diceret, qui non in me manet, & in qu
ego non maneo: non se dicat aut cr
met manducare corpus meum, aut bibe
sanguinem meum.

40 Hîc Augustinus docet. 1. Rectè d
stingui, manducare corpus Christi sa
mentotenus, & verè manducare. 2. Qu
quid sit *explicat tract. 26. in Ioh. to.* 6
ac per hoc *inquit*, Qui non manet in Chr
sto, & in quo non manet Christus, procu
dubio nec manducat spiritualiter carnem
ejus, nec bibit ejus sanguinem: licet car
naliter & visibiliter premat dentibus Sa
cramentum corporis & sanguinis Christi:
sed magis tantæ rei Sacramentum ad ju
dicium sibi manducat & bibit, qui im
mundus, præsumpsit ad Christi accedere
Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit,
nisi qui mundus est. 3. Et carnalem
manducationem explicat per visibilem,
habetque pro iisdem carnaliter & visibili
ter manducare: eique opponit non nisi
spiritualiter manducare. 4. Et carnalis ea
manducatio fertur in id, quod premitur
dentibus, idque vocat tantæ rei Sacramen
tum. Itaque non corporalis præsentia,
vera & realis manducatio oralis ipsius cor
poris Christi: sed tantùm spiritualis man

ducatio

ducatio corporis ipsius, & oralis, seu carnalis & visibilis manducatio ipsius Sacramenti, seu symbolica nota & cognita fuit Augustino. Quod expressit etiam *Epistola* 50. non quærant S. Sanctum nisi in Christi corpore, cujus habent foris Sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus est illud Sacramentum, & ideò sibi judicium manducant & bibunt.

Sic *Ambrosius in lib. de Initiandis mysteriis* 41
cap. 9. In illo, *inquit*, Sacramẽto Christus est: quia corpus est Christi. Non ergò corporalis esca, sed spiritualis est. Unde & *Apostolus* de typo ejus ait 1. *Cor.* 10: Quia Patres nostri escam spiritualem manducaverunt, & potum spiritalem biberunt. Corpus enim Dei, corpus est spiritale. Corpus Christi, corpus est divini spiritus. Ita *Macarius hom.* 27. in Ecclesia offerendum esse panem & vinum typum seu figuram carnis ejus ac sanguinis: atq; eos qui participant de pane visibili, spiritualiter carnem Domini esuros. *Vide Bernhard. in serm. de cœna Domini.* 2. Itaq; videmus esse altum silentium apud Patres de orali & corporali præsentia & manducatione corporis Christi: sed Sacramenta, h. e. symbola manducari foris: corporis verò Christi manducationem non esse nisi spiritualem. Nisi forsan id dicatur eo sensu,

quo

quo *Augustin. scribit Epist.* 23: Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Et sic dicitur Secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi esse, Sacramentum sanguinis Christi, sanguinem Christi esse. *Sed eâ de re infra plenius, quando de locutionibus sacramentalibus agetur. Patrum testimonia brevitatis studio nunc non adduco, consulat Oecolampadium & alios, qui plura desiderat.* Videamus nunc, quid ad suæ sententiæ probationem adducant, qui corporalem Præsentiam, & oralem manducationem defendendam susceperê.

[o]

CAP

CAP. V.

In quo argumenta eorum, qui corporalem præsentiam in, cum & sub signis, & oralem manducationem defendunt, examinantur.

Chemnitius in libro, qui inscribitur fundamenta sanæ doctrinæ de vera & substantiali præsentia cap. 6. ad quinque Classes revocat argumenta, quare in verbis Testamenti Filii Dei non sit discedendum à simplici & nativa proprietate verborum Testamenti Filii Dei. In eo enim statu judicat totius controversiæ cardinem verti, an verba Testamenti Filii Dei (quibus de pane cœnæ gravi asseveratione prædicat, hoc est corpus meum, & de vino cœnæ, hic est sanguis meus) accipienda sint in illo sensu, quem simplex, propria, nativa, certa & usitata vocabulorum significatio reddit. Hinc enim judicant rectè posse deduci oralem 1

manducationem: oralis verò manducatio absque præsentia ea corporali in, cum, & sub signis esse non potest. Itaque oralis manducatio originem præbuit toti illi Controversiæ de præsentia illa corporea, & vel ubiquitate vel multipræsentia.

2 *Prima Classis est desumpta ex Analogia Scripturæ.* Primò, *inquit*, ponantur illa argumenta, quæ sumuntur ex certa & perpetua analogia interpretationis, quam Spiritus Sanctus in illis locis, ubi dogmata seu articulr fidei fundantur servandam præscripsit: & hæc argumenta proximè sequenti capite persequitur.

3 *Primum argumentum* è consuetudine Scripturæ, quæ quando dogmata tradit, seipsam exponit, vel in eodem loco, vel in aliis locis, ubi idem dogma repetitur. Nam propter hanc ipsam causam, idem dogma in variis Scripturæ locis, plerumque traditum & repetitum extat, ut interpretationem non quisque sibi excogitet, sed ex ipsa scriptura sumat, vel enim iisdem, aut similibus, aut idem valentibus, aut declaratoriis verbis, idem dogma repetitur, ut simplex, proprius, & nativus sensus confirmetur. Sine omni igitur dubitatione, Filius Dei idem observavit, in traditione novi dogmatis de cœna Domi-

Dominica. Atque propter hanc ipsam causam idem illud dogma in diversis Scripturæ locis, à diversis scriptoribus, & diversis temporibus, repeti curavit, ut ibi verum sensum & intellectum quæreremus. Quirigitur sentit aut contendit verba cœnæ aliter, quàm sicut sonant intelligenda esse, eum oportet clarè, certò & perspicuè ostendere, posse S. Sanctum in illis locis, ubi ex professo dogma de cœna Domini tradit & repetit, monstrasse, idque claris & manifestis verbis, hæc duo: 1. verba non esse accipienda, sicut sonant. 2. Quo sensu aliter, quàm sonant, sint intelligenda. Manifestum autem est, dogma illud in scriptura partim iisdem verbis, partim idem valentibus repeti, & quidem addi tales declarationes, quæ non permittunt verba, aliter, quàm sicut sonant, intelligi.

Videamus an probetur, quod erat probandum. 1. non negamus, interpretationem scripturæ debere esse analogam, & ex ea analogia petendum esse sensum & intellectum: scripturæ debet enim Prophetia esse fidei analoga. *Rom.* 12. *v.* 6. 2. Concedimus & hoc, si quod dogma fidei quandoque sit obscurius propositum, ejus explicationem & declarationem rectè peti è collatione scripturæ cum scriptura, ubi 4

vel iisdem, vel similibus, & idem valentibus, aut declaratoriis verbis dogma idem traditur, ut verus & nativus ac genuinus sensus loci hinc ernatur & confirmetur.

5 3 Sed id dubium: 1. An semper dogma fidei eo loco, ubi genuina ejus sedes est, debeat verbis propriis exprimi. Adeoque 2. dubium, an quia in verbis institutionis sedes est Doctrinæ de Cœna Dominica, ea verba institutionis propterea sint propriè intelligenda. Nec enim sequitur: possumus è scripturis nativum & genuinum sensum dogmatis fidei eruere, & confirmare: E. ubi sedes est ejus dogmatis fidei, eo loco præcisè verba sunt propriè, & non figuratè intelligenda. Sed satis est, si scriptura nobis suppediteret ea adminicula, quibus mediantibus veritatem dogmatis ejus cognoscere, eruere, confirmare possimus. *Exempli gratiâ:* Dogma fidei est, de sessione Christi ad dextram Patris, ita enim in symbolo Apostolorum habetur in numero articulorum fidei: Figurata ea locutio est consentientibus omnibus. Hoc quidem nisi spiritaliter acceptum fuerit, filio Pater ad sinistram erit, *dicit Augustin. contra sermonem Arrianorum cap. 12. Et Mentzerus in respons. contra Martinii object. 13. loc. 1. de sessione ad dextram Dei pag. 460:* De dextra Dei, inquit, id

id planum est, sic dici Metaphoricῶς ἢ ἀνθρωποπαθῶς. Ubi sedes hujus doctrinæ? Quoad vaticinium quidem *Psal.* 110. *v.* 1. Explicante idipsum de se *Christo Matth.* 22. *v.* 44. Secundum complementum *Marc.* 16. *v.* 19. assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. *Ephes.* 1. *v.* 20. 21. suscitans illum à mortuis & constituens ad dextram suam in cœlestibus suprà omnem principatū &c. *Hebr.* 1. *v.* 3. sedet ad dexteram majestatis in excelsis. *Hebr.* 8. *v.* 1. talem habemus Pontificem qui consedit in dextra sedis magnitudinis ejus. His enim omnibus locis fit expresse mentio de sessione ad dextram Dei: totiesque repetitur figurata ea, omnium consensu, phrasis & locutio. Quæritur de sensu nativo & proprio? Sedere ad dextram Dei, *inquit*, *Mentzerus d. sup. loco pag.* 461. est regnare, definiente *Paulo*. Ubi? 1. *Cor.* 15. *v.* 25. oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Sed hæc phrasis jam ambigua est. Homonymia, *inquit Mentzerus*, est in voce regnandi; unde quatuor termini existunt *d. sup. loc. pag.* 464. Ambiguitatem, ut dicit, sic evolvo: Christus ut Deus regnat per naturalem sive essentialem omnipotentiam. Christus ut homo, non regnat per essentialem sive naturalem humanitatis

suæ omnipotentiam, sed per sessionem ad dextram Dei. Sed hoc est demonstrare per Cyclum: Quid est sedere ad dextram Dei quærimus? Respondet, est regnare secundùm humanam naturam. Sed quid est regnare secundùm humanam naturam? Respondebit, per sessionem ad dextram Dei. Nondum ergò clarè nobis expositum quid sit sedere ad dextram Patris. Clarius vult id ipsum explicare, restringendo majorem propositionem nimis generalem, ut: sedere ad dextram Dei est regnare, sed ita, ut istius regni causa, ratio, & modus sit sessio illa ad dextram Dei. *Et paulò pòst*: Alioqui si simpliciter intelligas sedere ad dextram Patris esse planè idem, quod regnare; quid obstat quò minùs etiam concludas: Deus Pater regnat, Spiritus Sanctus regnat. E. Deus Pater & Spiritus Sanctus sedet ad dextram Dei. Quare hoc axioma, sedet ad dextram Dei non tantùm notat regnum & imperium, sed etiam indicat causam, unde illud sit profectum. Non jam ludam in re seria. Dixerat superiùs Mentzerus, sedere ad dextram Dei esse regnare, definiente Paulo: idque è loco 1. *Cor.* 15. v. 25. Sed quantum video non definivit integrè: latiùs namque sese extendit regnare: nec enim denotat regnum tantùm, sed etiam

præter

præter regnum causam, unde illud regnum sit profectum: & ita formalis sessio ad dextram complectitur regnum & causam regni: adeoque regnum & causa regni erunt inter se idem. Nondum rem satis clarè expositit: nondum enim ex aliqua sede scripturæ nobis exposuit, quòd præter regnum sessio illa ad dextram Patris, denotet etiam causam regnandi. Nec id propriè quæritur, cujus rei causa sit sessio ea, sed quid ipsa sit. Sed quicquid id sit: Unde sententiam suam didicit? non è scriptura: hanc enim nullam adduxit hactenus. Sed hanc solutionem, *inquit*, didici *ex Nazianzeni l. 4. de Theologia.* At non è Nazianzeno phrasis illa Metaphorica primùm, post etiam à metaphora soluta & in proprietatem sermonis reducta ambigua è Nazianzeno, sed ex ipsa sede hujus loci, è scriptura erat explicanda. Anne aliam legem præscribent nobis in re satis controversa adversarii: aliam observabunt ipsi. Non nego veritatem sententiæ, quòd sedere ad dextram Patris denoret regnum & imperium. Et ita exposuit *Zanch. de natura Dei lib. 4. cap. 6. quæst. 4.* sedere ad dextrã Patris, h. e. maxima cum Patre gloria & majestate & felicitate regnare. Addo etiam, quòd secundum *Augustinum contra serm: Arianorum*

rum cap. 12. designet, summum gradum & statum felicitatis. quid est, inquit, Patris dextra, nisi æterna illa ineffabilisque felicitas, quò pervenit filius hominis etiam carnis immortalitate perceptâ. Id tantum ego, quòd Chemnitius, & eorum qui eum sequûtur, nullus hactenus sententiam probaverit suam, de sessione ad dextrâ Patris doctrinam, ex aliquâ sede ejus dogmatis fidei, sed tantùm metaphoram expoluerint è collatione simplici scripturæ, & usitato loquendi modo: nondum verò ubi propriè sit simplicibus, propriis ac nativis verbis extra figuram & tropum hoc fidei dogma in scripturis in propria sede traditum & propositum. Hactenus ergò regula Chemnitii non valet: Dogma unumquodque fidei in propria sede certis, claris, perspicuis, & quod his epithetis intelligunt, propriis verbis esse exprimendum. Et sat nobis erit, si proprius sensus è collatione locorum scripturæ & perpetua fidei analogia possit erui & confirmari. 4. Aliâs hanc conditionem libenter recipimus: Verba S. Cœnæ non esse accipienda sicut sonant, seu ut loquimur, κατὰ τὸ ῥητόν. 2. Et quis sit verus horum verborum sensus, seu quo sensu aliter quàm sonant sint intelligenda: Idq; ex analogia fidei & scripturæ præstiterunt jam antè

antè abundè nostri Theologi: idque in progressu faciemus & ipsi.

2. Chemnitius *rem hanc totam vult illustrare exemplis.* primum *consistit in conflictione Abrahæ cum promißione divina. Deus dederat Abrahamo promißionem de semine* Gen. 12. *Is quia effœtus & Sara sterilis, cogitat forsan verba non propriè intelligenda esse, sed de semine adoptivo. Deus repetit promißionem, & addit declarationem, qui egredietur ex utero tuo, ipsum habebis hæredem* Gen. 15. *Sara conatur per concinnam interpretationem à propria & nativa sententia discedere* Gen. 16. *Ingredere ad ancillam meam, si forte ex ea ædificer. Dominus verò* Gen. 17. *Instituit illustrem repetitionem & declarationem promißionis: Ex Sara dabo tibi filium. Abraham ridet: Deus igitur quartò instituit repetitionem & declarationem illius promißionis* Gen. 18. *Hoc exemplum post accõmodat ad præsentẽ disputationem ut doceat, quum toties sint repetita verba institutionis, non posse tamen aliam sententiam hinc comprobari & confirmari, quàm eam, quam proprietas verborum tradit: adeoq; non esse à nativo sensu discedendum propter ἀντινομίαν & ἀντιθέσεις. Idem declarat exemplum mandati de mactando filio Isaaco. Item* Matth. 19. *de libello repudii:* & Matth. 22. *de resurrectione contra Phariseos & Sadducæos.*

7 Verùm Elenchus consequentis est: nec enim ex ἀντιλογίαις, quæ è scripturis depromuntur rectè licet concludere. Sunt enim ἀντινομίαι & ἀντιλογίαι duplicis generis primum depromitur è proprio sensu rationis & cogitationis humanæ: quales erant ἀντιλογίαι Abrahami extra & præter verbum Dei. Alterum ex ipsa scriptura depromitur. Prius genus refutat Deus ipse ab Abrahamo, promissionem per gradus clariùs explicando, non iisdem verbis, sed verbis declaratoriis, ut quod de adoptivo intelligebat is, de naturali seu ex ipso nato exponeret Deus. Quod de naturali ex Hagar intelligebat Sara, de filio ex ipsa Sara nascendo intelligendum doceret Deus: idque immediatè cum Abrahamo loquendo, quæ immediata declaratio non expectanda nobis hodie: sed scriptura scrutanda ad cognoscendam veritatem. Utuntur eodem Sadducæi: qui nuptias uxoris unius cum septem fratribus componere non poterant. Christus Sadducæorum cogitationibus humanis opponit scripturam. Erratis, *inquit*, nescientes scripturam.

8 Alterum genus ἀντιλογίας & ἀντινομίας nascitur è scriptura: ut scripturam non rectè intelligamus, adeoque scripturam scripturæ opponamus. Hîc jam verus scripturæ sensus investigandus: quod fit è collatione

scripturæ cum scriptura. Non enim ipsa sibi adversatur: sed nostra culpa fit & ignorantia, ut adversari videatur, quæ suâ naturâ amicissimè sibi invicem concordat. Hîc itaque repetitione ejusdem articuli ex ἀναλογίᾳ fidei & concordantia desumenda solutio, ut declaretur & illustretur sensus scripturæ. Ita quando quæritur à Pharisæis de dimittẽda uxore quacunq; ex causa. Christus respondet ex institutione conjugii, non dimittendam ex quacunque causa. Opponunt Pharisæi libellum repudii. Explicat hanc ἀντινομίαν scripturæ Christus: Moysem ad duritiem cordis ipsorum permisisse dimittere uxorem: ab initio non fuisse sic. Ita pro repetitione illa addita fuit dogmatis fidei illustratio & declaratio.

2. Sed id non quæritur, an ex repetitione sequatur illustratio & declaratio: sed an ejusmodi repetitio sit argumentum perpetuum de sensu secundùm literã seu κατὰ τὸ ῥητὸν: potest enim fieri illustratio secundùm sensum, sed non κατὰ τὸ ῥητὸν. Id enim quæritur, an ex repetitione toties facta sequatur, verba institutionis propriè κατὰ τὸ ῥητὸν, extra omnem figuratam & impropriam loquendi rationem, sint intelligenda. Id verò nondum probavit Chemnitius. Nec enim sequitur, uno atque altero loco repetitio illustravit hoc

vel illud verbis propriis. Ergò semper & perpetuo repetitio est argumentum sensus proprii, nativi, secundùm τὸ ῥητὸν. Est exemplo Abrahami: an verò res sese habeat similiter *Matth.* 19. De sensu cõstat certò: phrasis & loquendi modus non est proprius: quid enim est, quod Adam dicit, erunt duo in carne una *Gen.* 2. *v.* 24. & subjungit Christus, jam non sunt duo, sed una caro *Matth.* 19. *v.* 6. Et explicatur de libello repudii, *v.* 8. Moyses ad duritiem cordis vestri permisit. Repetitio certè, annè & verborum proprietas absque figura & tropo. Clara satis sententia & manifesta sunt: sed id non quæritur; quæritur de proprietate verborum, annè sit ea perpetuus comes repetitionis, ut in ipsa scriptura verbis propriis semper exprimatur, sententia aliquoties repetita.

9 Aliâs libentissimè damus & concedimus ad illustrandam doctrinam de Eucharistia plurimùm facere repetitionem: addunt enim verbis repetitis toties, verba alia aut alia, quæ ad sensum verborum instituendis nos deducunt: non faciunt tamen ut verba illa, *Hoc est corpus meum*, repetita toties non propria esse desinant. Legerunt verba repetita toties Theologi nostri, contulerunt inter sese, verum sensum

sensum verborum institutionis ex ea collatione tum repetitionis, tum harmonia & consensu scripturæ invenerunt: nullus tamen eorum hactenus ex ea repetitione verborum proprietatem concluſit. Concedunt ergo nostri Theologi Antecedens: consequens verò ex eo rectè deduci negarunt hactenus, nec potuit adversus eos solidè probari contrarium. Elenchus ergò consequentis in argumento est, quod dicebamus superiùs. Nos verò repetitionem inferiùs etiam conferemus, idemque satis clarè demonstrabimus: non posse propriè intelligi verba Institutionis celebri illa Repetione non obstante.

4. Repetit, sedem doctrinæ necessariò verbis propriis esse exprimendum. Verùm hæc est petitio in principio: id enim κρινόμενον est, an verba institutionis sint propriè accipienda, in quibus sedem doctrinæ quærimus, ita tamen ut analogiam fidei non seponamus. 10

5. *Docet, Quæ antea in verbo Dei tradita & Ecclesiæ nota fuerunt, illa in scripturis sæpè repetuntur figuratâ oratione, & variis quasi picturis illustrantur. Vera enim & nativa sententia, ex aliis locis, ubi dogmata* 11

illa

illa simplicibus, propriis & apertis verbis traduntur sumi potest. In institutione verò Cœnæ Christus non voluit aliquid prius traditum & in Ecclesia antea usitatum, picturata oratione figuratum & variatum exhibere, ac verborum floſculis exornare: Erat enim nox illa, in qua ad acerbißimos cruciatus tradendum fuit. Sed instituit novam ibi actionem, tradidit novum mysterium & dogma, cujus notitia antea in Ecclesia non fuerat. De spirituali quidem mandatione, quæ est solius fidei actio, sine externa aliqua exhibitione & sumptione concionatus fuerat Joh. 6. Quæ metaphora etiam in scripturâ Prophetici usitata est. In Cœna verò instituit externam exhibitionem & externam sumptionem, quam ore fieri vult, quando inquit: Manducate & bibite. Et de eo quod ita in Cœna Dominica exhibetur & ore accipitur, credi vult, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Talis actio & tale dogma, antea non fuerat traditum, notũ, aut usitatũ in Ecclesia. Necesse igitur est, verba simpliciter & propriè, in nativa, nata & usitata significatione & sententia posita esse. Ita ille. Summa huc redit: Omne dogma fidei non prius notum & traditum in Ecclesia debet verbis propriis, non figuratis exponi. Tale est dogma de Eucharistia. Ergò verbis propriis, non figuratis erit exprimendum. Sed unde constabit nobis de veri-

veritate propositionis. Dogma certè fidei, si quod aliud, promissio de semine mulieris *Gen. 3. v. 15.* novum planè, nunquam auditum antea in Ecclesia. Anne verò proprietatem verborum hinc assereret Chemnitius? Verba sunt: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Ubi si quis proprietatem sermonis præcisè urgere velit, quæ monstra nobis pariet, in dogmate tam salutari, tam novo, primo. 2. Videamus assumptum. Dogma de Eucharistia erat non prius notum & traditum in Ecclesia. In Eucharistia quatuor sunt: 1. Ritus. 2. Res signata. 3. Applicatio ritus hujus ad rem signatam seu Sacramentum; & 4. Phrases sacramentales, seu modus loquendi de Sacramentis. 1. Ritus novus non erat: sed usitatus apud Judæos, ut in epulo illo paschali fractus panis distribueretur inter discumbentes, & poculum degustatum divideretur inter eos. Descripsit hûc Ritum *Barnoius A. C. 34. n. 43. ex antiquo Hebræorum libro, quem etiam nunc esse inter Judæos usitatum ex Judæis ipsis cognovit.*

Ita verò scribit Baronius: cæterùm ut, 12
quæ scripta sunt ab Evangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione, facilius intel-

intelligantur; operæ pretium existimavi hîc intexere, quæ in antiquo Hebræorum libro Rituali habentur. In Canone enim eorum hæc continentur: In Paschali convivio, posterior quæ esset mensa, non ut aliis dierum festorum secundis cœnarum mensis bellaria apponebantur, sed tantum à lege statutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, aliisque rebus conditum: in eumque primùm paterfamiliâs intingebat ossam azymam, mox cæteri, sicque consumebatur. Deinde idem paterfamiliâs tortam azymam (seu ut alii textus habent, dimidiam) sub mappa hactenus servatam, in frusta frangebat, in tot particulas illam dividens, quot essent in mensa discumbentes, sicque divisam singulis porrigebat: quo facto, ipse poculum degustatum tradebat proximo, ille secundo, donec poculum per totum convivium circumferretur. Insuper quoniam secundæ illæ mensæ Judæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimùm comparatæ: cum in cæteris secundis mensis esset usitata quædam communis benedictionis formula, in paschali secunda mensa post illam benedictam, cum distribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamiliâs dicebat: Iste est panis

panis ærumnæ, quem comederunt Patres nostri in terra Ægypti: quisquis esurit, accedat & peragat pascha. Post hæc idem accepto poculo benedicebat his verbis: Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti &c. sicque delibatum (ut dictum est) poculum tradebat proximo, ille secundo, & sic deinceps. *Hæc ex libro Rituali Hebræorum.* Subjungit verò *paulò pòst Baronius*: Hæc *inquam* ex Rituali veteri Hebræorum libro accepta, quantum conferant ad ipsam Evangelicam historiam de Cœna Domini intelligendam, facilè perspici potest. Dominus enim servato eo ipso antiquo Judæorum ritu, illud effecit, ut novis benedictionibus additis, novum institueret Sacramentum: & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerant instituta, in commemorationem omnium præstantissimi noviter accepti beneficii mutarentur. *Ita ille.* Ritus itaque externus ille, tum quoad symbola, tum etiam quoad externum modum dispensationis alius nunc non est ab Ritu illo veteri: Adeoque quoad Ritum nihil priùs ignotum, tum primùm noviter traditum & institutum.

2. Res signata quoque nova non est. 13
Eucharistiam enim constare re terrenâ &

cœlesti, constans est omnium piorum communis *cum Irenæo lib. 4. cap. 35.* sententia. Res terrena signi: res cœlestis rei signatæ rationem habet: secundùm receptam illam Augustini definitionem, quâ Sacramentum dicitur esse signum visibile invisibilis gratiæ: quod visibile sub signi ratione nobis proponitur: quod invisibili, seu invisibilis gratiæ signo per modum rei signatæ respondet. Rem eam cœlestem à terrena distinctam explicat *clarius lib. 5:* Quando & mixtus calix, *inquit*, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia. Ergo corpus & sanguis est res ea signata, seu res, quæ cœlestis superiùs dicebatur: ea enim una & sola à re terrena contradistinguitur. Corpus verò & sanguinem Christi, hîc non intelligi, quod oraliter manducetur & bibatur, sed quod manducatur & bibitur spiritualiter ex eodem loco constat: allegat enim ejusmodi nutritionem, quâ nutrimur sanguine & corpore Christi, quò fiamus membrum ejus: *& adducit locum Ephes. 5. v. 30:* Quoniam membra sumus corporis ejus & de ossibus ejus. Et adducit effectum hujus nutritionis: quòd corpora nostra ex ea nutrita & reposita in terram, & re-

soluta in ea resurgent in suo tempore verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloria Dei Patris. Unde nobis hoc argumentum nascitur: Corpus & sanguis Christi, quo nutrimur, ut fiamus membrum ejus, caro de carne ejus, & os de ossibus ejus, quodq; operatur in nobis effectum resurrectionis in gloria Dei Patris, est corpus & sanguis, quod spiritualiter percipitur. Patet tum ex loco Apostoli: agit enim eo loco Ephesiorum Apostolus de ea nutritione & fomento, quo complectitur Ecclesiam, & cui ceu spirituali conjugio respondet externum conjugium, quod Sacramentum magnum propterea nuncupatur, *eod. cap. Eph. 5. v. 32.* inter Christum & Ecclesiam. Jam verò corporalis illa & oralis manducatio nihil horum efficit, consentientibus qui contrariam sententiam tuentur: nec ea efficit in impiis percipientibus illam, ut sint membra Christi, & ut resurgant in gloriam Patris, *quod fusè disputat August. de Civit. Dei. lib. 21. cap. 25.* Est ergò spiritualis illa manducatio & bibitio. At verò hæc ipsa est, de qua dicit Irenæus, quòd mixtus calix & fractus panis, quum percipit verba Dei, fiat Eucharistia sanguinis & corporis Christi: quamq; constituit alteram Eucharistiæ partem à re terrena distinctam. Sed ea res signata spi-

ritualis nova non est: nam de spirituali et nutritione, seu manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi jam ante concionatum fuisse Christum *Ioh.* 6. nemo negat, & fatetur Chemnitius ipse. Oratum verò instituisse Christum in Cœna, quam urget Chemnitius, & novam esse assert, χρινόμενον est, nondum probatum hactenus. Nec ergò novum hoc dogma hactenus quoad rem signatam.

14 3. Applicationem ritus hujus ad rem signatam seu Sacramentum. Hîc verò ingenere novum nihil, quod non antea fuerit usitatum in Ecclesia, ac propterea quoad genus suum ignotum & incognitum: tametsi in particulari id sit novum novi Testamenti Sacramentum, quoad particularem seu specialem applicationem hujus ritus ad hanc rem signatam seu Sacramentum. Sed hæc particularis innovatio non cogit nos sequi proprietatem vocum & vocabulorum: quia doctrina sacramentalis & applicatio particularis rituum ad res Sacramentis significatas, saltem quoad genus nota est & usitata in Ecclesia. Sic promissio de Messia erat doctrina nota & usitata in Ecclesia. Ea ipsa Abeli, Noæ & Patribus ante diluvium significabatur & repræsentabatur ritu sacrificiorum. *Gen.* 4. *v.* 4. & 8. *v.* 20. 21.

20.21. nec enim odor sacrificiorum horum gratus erat suavitate externæ oblationis, nã & Cain offerebat: sed fide plurimam hostiã Abel, quàm Cain obtulit Deo. *Heb* 11. *v.* 4. At verò eadem illa promissio, in qua consistebat substantia pacti & fœderis cum Abrahamo, fuit repetita Abrahamo, *docente Apostolo Gal.* 3. *v.* 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et semini tuo, qui est Christus. Facta verò confirmatio fœderis addito novo Ritu Circumcisionis, *Gen.* 17. 10. 11. hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum: & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signũ fœderis inter me & vos. Post etiam à Moise additus alius ritus ad designandam & confirmandam eandem promissionem, Agnus scil. paschatis: hinc enim Christus dicitur Agnus tollens peccata mundi *Ioh.* 1. *v.* 29. & agnus mactatus ab origine mundi *Apoc.* 13. *vers.* 8. nisi forte id rectiùs dicatur respectu sacrificiorum. At verò inspecie id *docuit Apostolus* 1. *Cor.* 5. *v.* 7. Pascha nostrum immolatus est Christus. Unus Christus, una promissio, una res signata seu significata: at verò diversis ritibus ac cere-

moniis declarata & propósita: ut propterea applicatio ſpecialis ejusdem promiſſionis ad diverſos, deſignet eandem rem novis ritibus offerri & proponi, non tamen innovata ipſa fœderis ſubſtantia, Ac propterea nihil novum & inuſitatum proponi in Eccleſia dicimus, quando idem fœdus ſub novis ritibus proponitur: nec propterea novus ille ritus eſt argumentum propter eas verborum, quibus applicatio illa novitus ad eandem rem ſignificatam exprimatur: ſed ex perpetuo uſu & conſuetudine Eccleſiæ de iis verbis erit ſtatuendum & judicandum. Et hinc fit, ut tametſi nuſquam extet in veteri teſtamento expreſſa ejusmodi phraſis, paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, ſed expreſſis verbis eam primus poſuit Apoſtolus: Veteres tamen ex uſu ſcripturæ aſſueti erant his loquendi modis, & facilè intelligebant eam, non additâ aliquâ interpretatione, Corinthii: & intelligebat eandem Moſes, cum fide celebravit paſcha *Hebr.* 11. *v.* 28. Et applicatio novi ritus alicujus ad eandem rem ſignatam non facit ejuſmodi quid novum & inuſitatum in Eccleſia, ut ad verborum proprietatem in inſtitutione urgendam firmum exhibeat argumentum. Ideoque res perpetuò eadem, tametſi ritus diverſi, quibus res eadem ap-

plica-

plicatur, *ut supra ex Augustino lib. 19. contra Faust. Manich. cap. 16. fusè docuimus.*

Atque hinc 4. phrases sacramentales seu 15
modus loquendi de Sacramentis, non est novus & inusitatus in Ecclesia, ut propterea tanquam de dogmate novo de iis sit statuendum & judicandum, & urgenda inde verborum proprietas. Hinc notæ sunt & celebres in Ecclesia *Augustini sententiæ*. Quodammodo omnia significantia, videntur earum rerum quas significant sustinere personas. Sic dictum est ab Apostolo: Petra erat Christus, quoniam petra illa, de qua hoc dictum est, significabat utique Christum. *de Civit. Dei. lib. 18. cap. 48. Et epist. 23. ad Bonifacium*: nonne, *inquit*, semel oblatus est Christus in se ipso, & tamen in Sacramento non solum per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omninò Sacramenta non essent. (*relata sunt etiam hæc verba in 4. sent. d. 6. si verò & 4. sent. d. 4. nec tam, ut constet fuisse ea in Ecclesia usitata.*) Ex hâc autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Et hoc sensu docet eo loco: secundùm quen-

dam modum Sacramentũ corporis Christi corpus Christi esse: Sacramentum sanguinis Christi, sanguinẽ Christi esse. Et hic Theod. *dial. 1. qui inscribitur* ἀτρεπτος: Ipse, inquit, salvator noster permutavit nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuit, symbolo verò corporis nomen. Sic vitem seipsum nominans, sanguinis nomen symbolo tribuit. Quum verò Eranistes vult discere causam permutationis nominum: Respondet Orthodoxus ita: Manifestus est scopus iis, qui sacris initiati sunt. Volunt enim Sacramentis utentes non intentos esse in naturam eorum, quæ cernuntur, sed per nominum permutationem, crederet, quæ ex gratia facta est mutationi. Quemadmodum naturale corpus triticum & panem appellavit, & rursus se ipsum vitem nominavit, is visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens. Videmus ergò primitivam Ecclesiam in Sacramentis & Eucharistia, ob novam ejus institutionem non urgere verborum proprietatem, sed nominum permutationem ex similitudine rei ortam & in Sacramentis usitatam. Quorum nos doctrinam hâc in parte sequimur.

16 *Sed dicis*: Non voluisse aliquid pictum

ora-

oratione figuratum & variatum exhibere, ac verborum flosculis exornare: erat enim nox illa, in qua se ad acerbissimos cruciatus tradendum sciebat. Non nunc quæram de verborum flosculis: fuit enim hoc figuratum dicendi genus in Ecclesia usitatum. Ut ut tamen sit, non esse tropicum & figuratum dicendi genus, non poterit evincere nox ea, quâ acerbissimis cruciatibus erat exponendus. Quot enim figuratis vocibus aliis usus est in ea nocte Christus, tum extra Sacramenti institutionem, tum in Sacramento ipso. Annon gravissimos cruciatus sustinebat, quum diceret: transeat à me calix iste *Matth. 26. v. 29.* Anne calix propterea propriè accipietur. *v. 52. ejusd. cap.* qui acceperint gladium, gladio peribunt. *v. 64.* videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei. Item: *Luc. 23. v. 31.* si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet. Et in prolixa ea concione *Ioh. 15. v. 1.* Ego sum vitis, pater agricola. *v. 5.* vos palmites. Quot sunt & in his verbis, & in toto sermone locutiones figuratæ? ut propterea nox ea, non sit argumentum proprietatis verborum, in iis sermonibus, quos habuit extra Sacramenti institutionem. Aliâs in institutione ipsa tropi plures occurrunt: 1. Calix dicitur novum Testamentum *Luc. 22. v. 20.*

2. 1. *Cor.* 11. *v.* 26. 27. quotiescunque calicem bibetis: biberit calicem. 3. judicium dicitur manducari & bibi. 1. *Cor.* 11. *v.* 29. Hæ & similes locutiones aliæ figuratæ omnino sunt & tropicæ: sed in ipsa institutione Evangelistarum & Apostoli Pauli inveniuntur, *ut latius id ipsum declaravit Pet. Martyr in Epist. de Eucharistia in Gardinerum in loc. com. class. 4. cap.* 10. Falsum ergo institutionem posse verbis propriis constare. Potest ex his omnibus satis intelligi, quid vel novum sit, vel non novum in Eucharistiæ institutione, & an novitas ea sit argumentum proprietatis verborum.

17 V. *Iterum urget verba in sede doctrinæ posita necessariò esse propria, ut verus & unus sensus haberi possit. Sed nos contrarium probavimus ex articulo de sessione Christi ad dexteram Patris. Allegat verò* Hieronymum dixisse, *ex solis figuris & allegoriis non posse confirmari & comprobari dogmata: Et* Augustinum *necesse esse, ut quicquid ex verbis impropriis, ex oratione figurata, ex sermone obscuro & ambiguo per interpretationem eruitur, illud ut πληροφορίαν fidei habeat certum & solidum fundamentum, alibi in scripturis, propriis, usitatis, planis & apertis verbis tradi & fundari.* Ubi hæc docuerint *Hieronymus & Augustinus* non notavit, quod necessarium erat, ut è collatione

tione & circumstantiis locorum certum quid respondere liceat: Et riderent nos, si à solius Hieronymi & Augustini authoritate de dogmate statuere vellemus, quod è sede doctrinæ, scripturæ erat petendum. Videamus tamen: 1. Confundit figuras & allegorias cum figuratis & tropicis locutionibus. Consequens verò non est, è figuris & allegoriis non peti posse certum argumentum: Ergo nec è figuratis locutionibus. Communis est regula: Theologia symbolica non est per se argumentativa. Sed sciendum allegorias esse duplicis generis: alias quidem, quæ fundamentum interpretationis in scriptura ipsa habent, alias verò quæ sensu & ingenio humano excogitantur. Prioris generis allegoriæ propter applicationem à Spiritu Sancto factam, firmum dogma generant. *Quales allegoriæ sunt* 1. *Cor.* 9. *v.* 9. scriptum in lege Moysis: non alligabis os bovi triturranti: & applicatur ad ministros, quibus cibus & victus debeatur. *Et quod habetur Gal.* 4. de duobus filiis Abrahami è Sara & Hagar: quod applicatur ad duo Testamenta. De qua allegoria *Ambrosius lib.* 1. *de Abraham Patriarcha cap.* 4. Illa quæ gessit Abraham, ut de ancilla susci-

susciperet sobolem: in figura facta sunt & secundùm allegoriam.

18 Hinc 2. distinguimus sensum figuratum, ab allegorico. Ille literalis quoque potest esse: non ita hic, qui spiritualis semper est & mysticus. Literalis sensus, inquit *Bellarm. lib. 3. de verbo Dei*: duplex est: Alius simplex, qui consistit in proprietate verborum, alius figuratus, quo verba transferuntur à naturali significatione ad alienam. Non ergò idem judicium de figurato & allegorico sensu faciendum. Et *ita Bellarm. dict. loc. illud Matth. 26.* hoc est corpus meum, dicit habere sensum literalem, sed esse dubium, an sensus verus sit simplex, an figuratus: Catholicos velle accipi simpliciter secundùm verborum proprietatē; Zwinglianos autem per figuram. Ergò sensus uterque literalis, sive proprius ille sit, sive figuratus. Sed & proprium esse dicunt tam Pontificii, quàm Lutherani: quum tamen idem non sentiant, sequetur hinc, nec proprium semper parere certitudinem dogmatis, quod tantoperè urget Chemnitius.

3. Quoad allegoricum verò sensum: Allegoria est, cum aliud geritur: & aliud figuratur: advertis esse mysterium, quo ea quæ in posterioribus erant futura temporibus, revelabuntur. Aliàs *Originis allegoria*, qui paradisum totum transformant

ex historia in mysticum & spiritualem sensum, non reddunt firmum argumentum: quia non in scriptura fundatæ, sed ingeniosè per similitudinem quandam sunt excogitatæ. *Hieronymus* ergò rejicit allegorias dubio procul, quæ sunt posterioris generis, quòd ex iis firmi nihil concludatur: in quo genere eo tempore erant suspectæ Origenis allegoriæ in Ecclesia. Posterius genus allegoriarum illustrat doctrinam, non evertit: ut propterea Christus frequens fuerit in parabolis proponendis.

4. Sed hæ allegoriæ distinguendæ, à figuratis locutionibus. *Dices*: Parere obscuritatem locutiones figuratas? sed ea obscuritas facilè è scopo loci, ex antecedentibus & consequentibus, è locis parallelis & phrasi scripturæ potest ad perspicuitatem revocari. Ambiguitas enim solvitur facilè, quando verba intelligenda sunt secundùm subjectam materiam, ut habet communis regula.

5. Aliâs perpetua Augustini regula est, *quæ sunt obscuriora in scripturis, esse per clariora explicanda.* Video esse inhærendum iis 18
quæ in scripturis sunt apertissima, ut ex his, revelentur obscura *l. 3. de pecc. mer. & remiss. cap. 4.* Et q Augustinus de figuris dixit, non esse appplicandum ad tropicum & figuratũ loquendi modum, manifestum est *è libr. de*

unitat. Eccles. cap. 5. ibi enim dicit, quòd ex arca Noæ, ex Gedeonis signo dicto in vellere, non possit peti firmum argumentum, si fortè humani ingenii conjectura producatur: sed tantùm si approbetur authoritate divina & Apostolica. Sed ejusmodi allegoricæ figuræ nihil habent commune cum ejusmodi figuratis locutionibus contra literalem sensum intelligendis: de quibus sermo nobis est in præsenti. Confundit ergò figuras & figuratas locutiones; ut propterea consequens non sit: Ex solis figuris & allegoriis non posse constitui & comprobari dogmata: ergo nec è figuratis locutionib⁹. Multũ n. differunt inter se, sensus allegoricus & locutio figurata.

19 VI. Docet, *voluisse Christum ea verba esse normam totius doctrinæ & fidei, omnium disputationũ & controversiarũ de hoc dogmate. Quam v. & cujus certitudinis norma esset, si verba essent ambigua? Verba a. reddi ambigua, si à propria & nativa eorũ sententia discedatur, manifestè ostendunt, tot tam variæ & dissentientes eorundem verborum interpretationes, quæ ab adversariis tropis traduntur. Vt igitur norma illa certa, firma & constans sit, omninò retinenda est simplex, propria & nativa verborũ sententia.* Hic v. jam 1. concedimus, ambigua ante factam distinctionem nullam habere certitudinem. Concedimus 2. ambiguè vocẽ dici, si vox ipsa cõsideretur

respectu duplicis significationis: & propriæ & translatitiæ. Sed 3. negam⁹ remanere ambiguitatē post factam distinctionē. Ea v. 4. fit vel explicitè, enumerando omnes vocis ambiguæ significationes, & determinando, qua significatione vox in præsēti accipiatur: vel implicitè, quando accipitur vox ꝑ rationē subjectæ materiæ, & ratione antecedentiū & consequentium. Vulpis vox ambigua est, si absolutè & indifferenter accipiatur, tū pro bestia illa quadrupede, tum ꝑ homine callido & astuto: an v. ꝑpterea incerta Christi sententia est, quando Herodē dixit esse vulpē *Luc.13.v.32.* 5. in hunc quoq; modū negamus ambiguè dici, ꝙ in Sacramentis figuratè positū secundum modū phrasiū sacramentaliū exponitur & intelligitur: qa secundùm normā & analogiā fidei in Sacramentis usitatam, & secundùm antecedentia & consequētia, & harmoniā totius scripturæ explicatur. 6. Negamus v. esse inter eos, quos tropicos appellat, dissensionē ac repugnantiam aliquā sententiarū realē, sed tantùm notionalem, ut aliis atq; aliis terminis eandē rem explicent alii atq; alii, qua de re inferius sermo erit. Ipsi v. meminerint, quā amicè consentiant inter se, qui de proprietate gloriantur, vel cum Pontificiis, qui eandem urgent, vel inter se, Electorales, Brunsuicenses, Tubingenses, Marpurgenses. De quo aliās.

7. *Augustinus* unde citetur ipse videat. Aug. *in lib. contra* Petiliani *Epistolam.* Sed quo sunt enim tres contra literas Petiliani, enim titulus est ab Augustino scripti sed arbitror eum intelligere librum de tate Ecclesiæ, qui in specie contra Epi lam Petiliani scriptus est. Sed ea secu nobis non adversatur: quorum inter tio clara est ex analogia fidei sacra non ambigua è scopo, antecedentibus consequentibus ac subjecta materia: per guratè verò dicta, non intelligit, quæ pum & figuram aliquam sapiunt; sed Apostolico: hæc in figura facta sunt 1. *Cor.* 10. *v.* 6. Cum quibus figuris quibus sermo est figuratæ locutio mune nihil habent.

20 VII. Argumentatur è natura Testamenti: *Constat*, inquit, *inter omnes pacta & foed proprius & perspicuis, planis & manifestis proponi & exprimi, ut vera, certa & nativa tia omnib. sit obvia, ut ita, quam tum fieri lites & dissensiones præcaveantur, ne verba aliò trahere possit.* Hinc concludit, *quia Testamentum sit Eucharistia: propriis esse conceptum.* Et arguit denuò *dissensiones eorum, qui à proprietate ea recesserunt, ut fermè cum alio conveniat, in qua voce collocanda sit tropus, & qualis tropus.*

1. Tes-

1. Testamenta, pacta, fœdera, propriis, planis & manifestis verbis exprimenda. Unde didicit? A ICtis. ICtos ideam proponere Testamenti condendi largimur: an verò idea ea semper observatur? De humano dubitat Chemnitius: quòd si illud, *inquit*, aliquando in politicis testamentis, non satis diligenter & sapienter per idonea verba cavetur, illud fit, vel ex infirmitate, vel ex imperitia, imprudentia & incogitantia testatoris. Habemus ergò confitentem reum, non esse propositionẽ universalem: Omne testamentum concipi verbis propriis, claris & perspicuis: quandoque enim politicum testamentum tale non esse. Videamus de divino fœdere, pacto & testamento *Ier. 31. v. 31. & seqq.* & repetitur *Hebr. 8. v. 8. & seqq.* Describitur fœdus & pactum Dei tum vetus, tum novum: & novum quidem his verbis: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Anne pactum & fœdus hoc exprimitur verbis, non nisi propriis? Certè quando viscerum meminit Propheta, dabo legem in visceribus eorum: id Apostolus exprimit, dando legem meam in mentem eorum: Ergone *viscera* propriè sunt mens hominis, adeoque *viscera* cor- 21

porea ea, cum spiritu mentis sunt ea
propriè, absque ullo tropo & figura
quando lex scribenda in corde dicitur, q
lis ea scriptura, anne ea, quæ propriis ve
atramento perficitur, in naturali & ex
ea cordis substantia? Et scriptura di
non ambiguè *ab Apostolo* 2. *Cor.* 3. *v.*
estis Christi, ministrata à nobis, &
non atramento sed spiritu Dei vivi: no
tabulis lapideis, sed in tabulis cordis car
libus: & eodem sensu dicetur, scribi a
mento, & scribi spiritu Dei vivi? Ambig
certè, si scripturæ verbum spectes:
idem scripturæ genus est, nec ergo
sensu propriè de utroque scriptur
dici potest. Sed ambiguitas ea solv
subjecta materia: ut propriè dicatur scr
ptura externa, translatitiè & metaphor
de mentis interiori illuminatione, qua p
fidem certi reddimur, de eo quod Propheta
dicit, propitiabor iniquitati eorum & pe
cati eorum non memorabor amplius.
annon Testamenti & pacti loco sunt,
nobis in sacris describuntur de Jacob
Gen. 49. de Moyse *Deut.* 32. & 33. de Jo
libri ejus cap. 24. de Davide *verba no*
2. *Sam.* 23. 1. & *seqq.* & ad filium Salomo
1. *Reg. cap.* 2. nec enim alia tantorum viro
DEI testamenta descripta habemus.

verò fuerunt verba ultima eorum & novissima, ut testamenti loco meritò nobis sint. At verò proprietatem in his verbis asserit nemo, nisi omnis planè Rhetoricæ imperitus.

2. Nec verò metuendum de veritate & 22
certitudine sententiæ, tropus veritati non adversatur: & certitudo ex analogia fidei, scopo, genere phrasis usitatæ in Sacramentis petitur: ut propterea nativa sententia facilè possit erui. 3. Dissensio verò nostrorum, ut jam aliquoties dixi, non realis est, sed notionalis: ut propterea veritatem doctrinæ non evertat. In aggregatis enim quia multa occurrunt, fit ut pro respectuum diversitate variet notio: quæ præcisè semper sumitur: atque hinc secundùm varium præcisionis modum varia sæpè adhibetur notio, eâdem re permanente. *Qua de re infra pluribus videbitur.*

VIII. *Quando verba Cœnæ accipiuntur in* 23
propria & nativa significatione tunc reddunt unam & certam sententiam de substantiali præsentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini. Quando verò à simplici, propria & nativa verborum sententia discedituv, tunc in multas, varias & dissimiles interpretationes & opiniones, sicut manifestum est, verba illa distrahuntur. Ita ille. Hîc 1. negamus verba

propriè intellecta, vel unum sensum reddere, vel eum saltem, quem vult Chemnitius & Lutherani.

Annon propriè accipiebant verba Christi Capernaitæ *Ioh. 6. v. 59.*? anne verò propterea nativus is erat sensus & genuinus, quem Capernaitæ è verbis propriis percipiebant? propriè sese accipere verba Christi gloriantur Pontificii: *quomodo Bellarminus de Sacram. Eucharistiæ lib. 1. cap. 9. disputat*, propriè, non figuratè explicanda esse illa verba, HOC EST CORPUS MEUM. Anne eodem sensu, quo Lutherani? Non itaq; satis est, verborum proprietatem prætexere, ut inde veritas sententiæ cognoscatur. Ernde novit Chemnitius, è proprietate verborum deduci hanc sententiam in, cum, sub pane manducari & bibi sanguinem Christi: & perinde esse, atque æquè propriè dictū, Edite hoc est CORPUS MEUM, & in, cum & sub pane manducari & bibi corpus & sanguinem Christi. Multùm enim hæc duo inter se differunt: prior phrasis docet objectum manducationis: posterior v. quo medio objecti hujꝰ participes reddamur: at verò longissimè à se invicē differunt, si objectum nudè consideratū percipiatur, & si doceatur, quo medio percipiatur. Non itaque æquipollent duæ illæ phrases, nec pro iisdem habentur. Sed & eget inter-

pretatione, nec satis perspicua est & manifesta, quod tantoperè urget Chemnitius, phrasis illa prior, posita in verbis institutionis, siquidem Lutheranorum phrasi tanquam clariori ac manifestiori fuerit exponenda & explicanda. Literalis itaque sensus non semper infert perspicuitatem & claritatem: saltem literalis Lutheranorum, ad cujus expositionem aliâ quâdam phrasi clariori opus ipsis est.

2. *Sed dices*: Eam disputationum & 24
sententiarum diversitatem esse de diversis modis, non de ipsa substantiali præsentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini: disputationes enim, *inquit Chemnitius*, de modo meritò præciduntur. Sed jam res erit expedita: illud enim genus, esse corpus præsens in cœna, verè exhiberi & percipi ac manducari in cœna, nemo nostrum negat: qui libenter admittimus, quod in Concordia Wittebergensi anno 1536 docetur: Concedunt, sacramentali unione, panem esse corpus Christi, hoc est, porrecto pane, sentiunt simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. Tolle ergò disputationem de modo, & idem confitebimur, sive propria esse dicatur sive figurata locutio: Veram enim & certam agnoscimus sententiam, de substantiali præsen-

tia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini.

25 3. Nec verò sequitur: verba propria accepta reddunt unam & certam sententiam: Ergò verba figuratè & tropicè accepta non reddunt unam & certam sententiam. Id enim utrique generi potest esse commune: illi è proprietate verborum, huic è scopo, subjectâ materiâ, antecedentibus & consequentibus: secus enim omnes in universum tropi & figuratæ locutiones essent tollendæ planè & abolendæ, siquidem nullus planè esset earum usus, si veri certique nihil inde posset percipi. Argumentum simile huic Pontificiorum *ex Epistola Iacobi cap. 1. v. 15*: peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Ignis est Elementum: ergò aqua non est Elementum: quæ enim utrique sunt communia, ea è negatione subjecti alterius, non propterea negantur de subjecto altero: nec enim si subjectum unum non est alterum, propterea quod commune utrique subjecto est, negabitur. 4. Quod de dissensione repetit, non spectat substantiam causæ: ea enim dissensio notionalis est, non realis.

26 5. Subjicit Apologiam Lutheri ad Christi tribunal producendam: Domine Jesu Chri-

Christe, mota fuit controversia, & ortum certamen de verbis testamenti tui &c. & hanc vult esse πληροφορίαν illam fidei. Sed quid si audiat illud Christi ad Nicodemum *Ioh. 3. v. 10.* Tu es magister in Israel & hæc ignoras? Satis enim clarè & dilucidè verborum horum sensus è collatione & harmonia scripturæ eruitur & deducitur, ut tegumentum hoc ficulneum non sit satis ad tegendum & excusandum errorem.

IX. *Sacramenta* inquit Chemnitius, *sunt* 27
mysteria rationi ignota & à sensibus abscondita, quæ solo verbo patefacta & revelata sunt. Ideò ex illis verbis & secundùm illa verba, quibus patefacta & tradita sunt, rectè intelligi & necessariò dijudicari debent. Et allegat in hanc sententiã verba Chrysostomi: Credamus ubiq; Deo, neq; contradicamus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum videatur &c. Locum integrum citavimus *superius cap. 4. argumento quinto ex hom: 83. in Matth.* Chrysostomi. Sed quid hinc concluditur? Scilicet mysteria, adeoq; Sacramenta non nisi verbis propriis exprimenda. Sed 1. unde didicit Chemnitius, mysteria non nisi propriis verbis exprimenda! Annon erant mysteria, de quibus Christus loquitur *Matth. 13. v. 11.* quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.

At verò in parabolis loquitur Christus. Ad-
sum ergò: mysterium est: Ergò verbis pro-
priis exprimendum.

28 *Dices*: Christum exposuisse parabolas
discipulis, atque hinc quod parabolicè ne-
proposuerat, coram discipulis propriis ver-
bis paulò post exponitur. Sed id non quæ-
tur: an parobolicè dicta exponantur: sed
an mysteriis repugnet figuratis locutioni-
bus exprimi, & rectè sequatur, mysterium est
ergò non nisi propriis verbis exprimi vel
potest, vel debet. Aliâs verò & ipsi con-
cedimns verborum institutionis interpre-
tationem propriam & veram è scripturis
& posse & debere peti: adeoque è scriptu-
ris verum, nativũ & genuinum sensum desu-
mi posse, eo non obstante, quòd sermonis
& vocum quædam improprietas in verbis
institutionis observetur. 2. Locus Chry-
sostomi integer à nobis positus abunde sa-
tis nostrum propositum illustrat. Idem enim
ille *Chrysostomus*: qui dixit: *cedendum & ce-
dendum ubiq; Deo, nec ei repugnandum*: & non
posse nos ejus verbis defraudari: non ta-
men hoc, quod dixit Deus, Hoc est corpus
meum, intelligit de præsentia vel corporali
vel orali manducatione, sed de spirituali
*ut ea de re fusè superiùs ad hunc locum egimus
cap. 4. argumento quinto. Atq; hæc ea argumenta
sunt,*

sunt, quæ Chemnitius cap. 7. sui libri è classe primæ ex analogia perpetua interpretationis scripturæ deprompsit: altera classis nunc sequitur, quæ colligit argumenta è verbis institutionis.

CAP. VI.

In quo examinantur argumenta Chemnitii è verbis institutionis desumpta.

CHemnitius 8. *cap. sui libri* conatur pro- 1
ducere argumenta ex collatione, consensu & mutua declaratione quatuor locorum scripturæ, in quibus institutio Cœnæ Dominicæ descripta & repetita est *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* Ac sub initium quidem capitis proponit ἀνακεφαλαίωσιν superiorum: inde verò descendit ad descriptionem institutionis, sic ut extat apud Matthæum. *Ac præmissis verbis institutionis inductione omnium partium vult ostendere, nullum tropum inesse verbis Christi in utraq; parte Cœnæ Dominicæ. Considerat enim & sigillatim & conjunctim verba omnia: ut quòd fuerit. 1. Panis communis. 2. nec sit tropus in verbo* εὐχαριστεῖν. *3. & quòd fuerit externa acceptio, quæ manibus fit, inde manifestum esse docet: fregit enim acceptum panem, & fractum*

distribuit, ita ut singulis partem seu fragmentum panis illo daret, & jussit, ut illud quod externa exhibitione ipsis dabat, acciperent: & rationem sumptionis tradit, cum addit, Comedite: quia hoc loco non potest aliter, quàm de sumptione quæ ore fit, intelligi. Particula demonstrativa (Hoc) demonstrat illud, quod in Cœna Dominica exhibetur, sumitur & manducatur. Verbum (Est) declarat, quid illud sit, quod exhibetur & sumitur. Et vocabulum Corporis non obscurè declaratur. affirmat enim Christus esse suum corpus, & per articulum τὸ proprietatem vocabuli magis declarat, quæ in Luca & Paulo clarissimè traditur. Ita vocabula omnia si considerentur singillatim habent & retinent suam tropo propriam & nativam significationem. Atq; ex illis vocabulis, si conjungantur, inquit, non potest alia quàm propria hæc & nativa sententia prodire, indeq; concludit: Substantiam Cœnæ Dominicæ in prima hâc parte consistere non tantùm pane, sed simul etiam corpore Christi, ita ut externâ exhibitione præbeatur & ore sumatur, non tantùm panis, sed simul etiam corpus Christi.

Inde transit ad alterius partis descriptionem, & disputat: Poculum vocem vel non propriè, vel ejus interpretationem non aliunde accersiri, sed in ipsis verbis institutionis ita tradi, ita ut utrumq; simul adsit & poculum &

pa-

potus. *Inde peractâ Eucharistiâ, poculum illud dedit discipulis, ita ut ex illo poculo omnes aliquid ore sumerent seu haurirent*; inquit enim, *Bibite ex eo omnes. Iam quaestio est, quid illud sit, quod in poculo illo benedictionis in Cœna exhibetur, quod ore suo sumunt seu hauriunt? Et solum genimen vitis fuisse in poculo illo ante Eucharistiam certum est: Quia verò accessit Eucharistia, multis & manifestis verbis explicat, quid illud sit, quod in poculo benedictionis exhibetur, & inde ore bibentium hauritur*: inquit enim. *Hic est sanguis meus. Hinc differit, quod non sit sanguis typicus & symbolicus: sed sanguis novi Testamenti: Atq; hinc tandem concludit: quod ex Matthæo proprietas verborum evincatur.* Hæc ille latiùs persequitur.

Hîc verò distinguendum, quid sit vel 2
controversum, vel non controversum, quidque his ipsis vel probet, vel non probet Chemnitius? Nam 1. controversum non est, verum & propriè dictum panem in sacra Cœna proponi, offerri & exhiberi. 2. Nec id dubium: Hoc ipsum corpus, quod pependit in cruce, & hunc ipsum sanguinem, qui effluxit è Christi latere, omnibus ac singulis in Eucharistia offerri & exhiberi. Hic enim libenter utimur *illo Iustini Martyris in Orat. ad Antoninum Pium*: Non ut com-

communem panem, neq; communem vi-
tum ista sumimus: sed quemadmodum
verbum Dei caro factus Jesus Christus
vator noster, & carnem & sanguinem
nostræ causa habuit: ad eundē modum
eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso
fecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde
guis & caro nostra per mutationē alitur
incarnati illius Jesu carnem & sanguinē
edocti sumus. 3. Sed id controversū, an cor-
pus & sanguis Domini symbolis exter-
imediatè adsint & insint, ut præsentia ea cor-
poralis, &, quam inde derivant oralis man-
ducatio corporis & sanguinis Christi sint ne-
cessariò credenda: adeoq; utrum & panis
& vinum, ac simul corpus & sanguis Christi
ore manducentur & bibantur? Et 4. Con-
troversū, an propterea verba ea absq; omni
omninò tropo & figurata locutione sint in-
telligenda? ideoq; non de objecto manduc-
cationis & bibitionis est quæstio: sed de mo-
do unionis & præsentiæ cum symbolis, &
modo manducationis & bibitionis: & quo-
modo panis corpus Christi esse dicatur.

3 Ideoq; *Brentius in Exegesi in cap. 6. Ioh.* hæc
duo elegāter distinguit: & agit prius de ob-
jecto māducationis & bibitionis, postea de
phrasi seu locutione ea sacramētali. Cor-
inquit, Dominica duo habet: panē, vinum

verbum. Corporis os accipit panem & vinũ sensu, præter panem n. & vinum aliud non sentit. Os fidei accipit suo etiã sensu corpus & sanguinem: ut corpus in Sacramento habeat corporalia signa, & fides spiritualia, h.e. rem ipsam & veritatem. Proinde ne fidei, propter quam Dominus Sacramenta dedit, voto non satisfiat; omninò necessarium est, ut per Sacramenta non solum vacua signa dentur, sed etiam rerũ veritas, quâ solâ fides contenta sit. Jam & Patres ante Christum ederunt fide corpus & sanguinẽ Christi, non autem per hoc Sacramentum, sed per sua. Signa n. pro ratione temporis mutantur, sed veritas signorum, & res ipsa, semper ab orbe condito distributa est credẽtibus, nunc per hoc, nunc per aliud mediũ, prout Domino nostro placuerit. Ita ille de objecto manducationis egit: huic verò subjicitur de modo phraseos intelligendæ. Videamus nunc, *inquit*, quâ ratione panis dicatur esse corpus, & vinum esse sanguis, non duntaxat significare & adumbrare.

5. Rectè itaq; iis, quæ adducuntur probat Chemnitius esse & præsentia in Cœna Dominica verè symbola externa, panem & vinum: ac præterea rem symbolis iis significatam, corpus & sanguinem Domini: & utrũq; nobis in Cœna verè offerri & exhiberi: adeoq; libentissimè, quod hinc infertur, 4

concedimus: ſubſtantiam cœnæ conſtare non tantùm pane, ſed ſimul etiam corpore & ſanguine Chriſti: Cœnam conſtare duobus rebus, quæ nobis in præſenti actione exhibeantur, ut ſumatur non tantùm panis & vinum, ſed ſimul etiam corpus & ſanguis Chriſti. Et *agnoſcit Chemnitius* ipſe noſter: Euchariſtiam conſtare non tantùm ſymbolis externis, pane ſcilicet ac vino: ſed ſimul etiam vero corpore & ipſo ſanguine Chriſti *pag.* 182.

5 6. Sed negamus inde ſequi: Eſſe corpus & ſanguinem propterea præſentiâ corporali in & ſub ſignis: multò verò minus ſequi, ut utrumq; externâ exhibitione præbeatur & ore ſumatur, panis & corpus, vinum & ſanguis Chriſti. Nec conſequentiam eam ſatis probat Chemnitius: de eo quod exhibitione illâ externâ præbetur & manducando & bibendo accipitur, Chriſtus demonſtrativè pronunciat: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, Ergò utrumque corporaliter præſens eſt, & utrumque ore percipitur. *Vtitur Confeſſione VVirtenbergenſis anno* 1552. *congregationi Tridentini Concilii propoſita, ad negandam tranſubſtantiationem hoc ſimile* § *de Euchariſtia*: Sicut cum in *Ezechiele cap.* 5. *v.* 5. de urbe Hieruſalem, in latere deſcripta dicitur:

Illa

Ista est Hierusalem, non necesse fuit, ut substantia lateris mutaretur in substantiam urbis Hierusalem: ita cum de pane dicit, Hoc est corpus meum, non est necesse, ut substantia panis mutetur in substantiã corporis Christi. Utar ego eodem simili ad præsens institutum: sicut cum in Ezechiele de urbe Hierusalem in latere descripta dicitur: ista est Hierusalem: tametsi verè ipsa Civitas Hierusalem designaretur, & de veræ Civitatis Hierusalem oppugnatione Dominus loqueretur, ipsam civitatem esse corporaliter cum latere præsentem, ob particulam eam demonstrativam *ista*: ita nec in præsenti tametsi ipsum verum & substantiale corpus Domini, per demonstrativam eam particulam *Hoc* à Christo designetur, necesse est, ipsum corpus esse cum signis & symbolis immediatè præsens: nec enim phrasis ea certum corporalis illius præsentiæ in & sub signis est argumentum. Nec enim quando duo exhibentur, requiritur necessariò utrumque esse eodem modo vel præsens, vel accipi. Sicut Testamento exhibito exhibetur hæreditas, & mediante baculo & annulo fit investitura Episcopatus: ergò hæreditas & Episcopatus cum Testamento & signis investituræ corporaliter

con-

conjunguntur, & eodem modo utraque accipiuntur.

6 *Dices*: non tantùm dici, Hoc esse corpus, sed & dici: Edite, bibite: at verò ad esum & bibitionem necesse est esse præsens immediatè, id quod editur & manducatur. Concedimus præsentiam eam, quæ est proportionalis modo perceptionis: quæ corporaliter manducantur & oraliter, corporaliter sint præsentia necesse est: at nondum probata hactenus oralis manducatio: ea enim κρινόμενον.

7 Nos ergò concedimus libentissimè præsentiam, quæ respondet & sacramentali & spirituali manducationi: & libenter utimur verbis nostrorum, quæ à Chemnitio adducuntur *pag.* 182: præsentiam & sumptionem fidei non minus esse veram, certam & efficacem: atque eam, quæ ab ipsis tantoperè contenditur, præsentia corporalis & manducatio oralis. Itaque Elenchus consequentis est in argumento. Nec enim sequitur: Eucharistia cõstat duabus partibus, propriè & verè dictis: symbolis & re significatâ corpore & sanguine Domini. Ergò eorum unum alteri est præsens corporaliter, Et eodem perceptionis modo utrumq; percipitur. Et quando eorum unum de altero dicitur & prædicatur propria et

pro-

prædicatio, nullo vel tropo vel figura modificata: de quo ultimo inferiùs agetur, quando controversia notionalis tractabitur.

7. Ambiguè ergò dictum quando offerri & exhiberi, itemque accipere, ut & manducare & bibere dicitur, tum de externa, tum de interna oblatione, exhibitione, acceptione, perceptione, manducatione, bibitione: nec enim eodem intelligi possunt modo. Nemo ut arbitor absque ambiguitate dictum putaverit, quod scriptum est *Matth. 3. v. 11*: Ego quidem vos baptizo aquâ, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni. Illa enim perficitur externa administratione, hæc interiori Spiritus Sancti collatione, ut efficax sit suâ virtute. Quomodo ergò sine ambiguitate dictum putabimus, eodem genere oblationis, exhibitionis, perceptionis, manducationis & bibitionis, offerri, exhiberi, percipi, manducari & bibi, & externa symbola, panem & vinum, & internas res significatas corpus & sanguinem Domini? Quin ne secundùm ipsos quidem Lutheranos oralis ea manducatio, quam fingunt, eodem modo dici potest, & de pane & de corpore: illa enim fit manducatio in substantiam corporis conversione, reliquiarum excretione,

quorum nihil de ſubſtantia corporis & ſanguinis Domini dici poteſt. Et hinc myſticam dicunt, quæ non poſſit ſatis cognoſci aut percipi: at verò manducatio illa panis & vini, in quantum circa ſuum proprium objectum verſatur & ore perficitur de ſe & ex ſe myſtica non eſt: tametſi myſticum aliquid habet conjunctum. Non ergo eodem modo, nec eodem genere oblationis, perceptionis, manducationis, eadem dicuntur verba de objectis externis & internis.

9 8. Dicuntur ergò ſecundùm quandam translationem de alterutro eorum. Non verò dicuntur translatitiè de pane & vino, translatitiè ergò dicũtur de corpore & ſanguine Domini, adeoque non abſque tropo. Itaque quod Chemnitius dicit, fuiſſe externam acceptionem, quæ manibus fit, & quando dicitur, Comedite, hoc loco non poteſt aliter, quàm de ſumptione, quæ ore fit, intelligi: non totaliter, ſed non niſi ex parte verum eſt. Verũ eſt, eſſe externam acceptionẽ, & comeſtionẽ, ſi dicatur de ſymbolis: negamus verò eſſe ejusdem generis, quando de rebus ſignificatis ſeu internis eædem voces dicuntur.

10 9. Nec verò poſſum ſilentio præterire diſputationem eam, quam de poculo mo-

ver

vet Chemnitius, quod vocabulum propriè hoc loco accipi, primum probare conatur: post causſæ diffidens, ſaltem hoc loco in verbis inſtitutionis interpretationem tradi, non aliunde accerſiri: ſed hæc non eſt q̄ſtio, unde interpretatio petatur, ſed qualis vox ipſa ſit propriane, an tropica? Et an poſſit Teſtamentum Domini cum voce aliqua tropica conſiſtere & ſubſiſtere? Videamus verò an propria ſit hoc loco vox, an verò tropica poculi? *Concedit* Chemnitius *tropicè dici poculum, quando ponitur ut continens pro contento, & quidem per ſynedochen, quando Poëta dicit: pocula ſi quando ſævæ infecere novercæ: intelligi enim non continens, ſed ſolum contentum. Sed & altera apud Poëtam ſignificatio eſt diverſa ab hac, quâ ſolum continens intelligitur, quando Menalcas* Eclog. 3. *dicit:*

——— *pocula ponam*
Fagina, divinum opus Alcimedontis.

Et Dametas: Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit. Addit tertiam, Sacramentum Chemnitius *ποτήριον igitur,* inquit, *propriè dicitur, non ratione materiæ vel formæ: ita enim alias habet appellationes, ſed quòd potum ſervet aut contineat, id quod aliquando potentia, aliquando actu ſit. Hoc verò loco addita eſt manifeſta declaratio: Chriſtum accepiſſe poculum, quod actu continebat potum. Ita vocabulum poculi habet &*

retinet propriam suam & nativam significationem, quòd scilicet sit vas continens potum, ut ille.

11 Duæ ergò præter synecdochicam illam, ut appellat (ubi continens ponitur & contentum intelligitur: *Talæus in Rhet. lib. cap. 5.* metonymiam appellat, cum ponitur continens pro re contenta: quem Giessenses sequuntur *Rhet. lib. 1. cap. 6.* ut hinc ex ipsis etiam intelligatur, idem apud ipsos quoq; diversis troporum notionibus appellari, ac cavillari desinant, quando alii atque alii ex nostris Theologis eandem rem non eodem tropi genere designant, *ut dicetur infra*): prior ubi ponitur continens pro seipso, qualis est apud Virgilium: & posterior, quam fingit Chemnitius, absque auctore hactenus. Sed esto: sint duæ: Ergone utraque propria? Et vas tam propriè dicitur, quando à vino contradistinguitur: & quando vas corpus continens simul & contentum, hoc est, ut ille loquitur vas non aptitudine, sed actu continens potum? Et eadem vox absque tropo posita, ambigua erit, non casu, sed consilio, ut possit reddi ratio utriusque significationis. Nec enim sequitur: Vas actu continet potum; Ergò quemadmodum potum actu continet, ita & vox ea absq; tropo utrumq; signi-

significat & vas ipsum & quod vase continetur. Semper enim continés etiam actu, ab ipso contento actu est aliud & diversum. Et quòd per calicem intelligatur non utrumq;, sed contentum tantùm, sive per synecdochen id sit dictum, sive per metonymiam, patet ex eo: quòd calix à pane tanquam alterum symbolum seu pars substantialis externa Eucharistias ponatur: at verò non continens est pars Cœnæ substantialis, sed tantùm res contenta vinũ. Non ergò per calicem continés simul potest intelligi, sed res contéta tantũ, tropico vocabulo designata.

10. Et num poterunt negare in alterutro 12
Evangelistarum tropum: quando *Matthæus* dicit *c.* 26. *v.* 28. hic est sanguis meus novi Testamenti. Et *Lucas* 22. *v.* 20. hic est calix novũ Testamentum in sanguine meo? Annè enim absq; tropo in posteriori dicetur, quòd calix, hoc est, vas illud externũ, quod vinum actu continet, sit Testamentum novum in sanguine, prout à sanguine ipso contradistinguitur? Id verò fieri nequit: nec enim Testamentum est tam in externis symbolis, quàm consistit in sanguine: in ipso enim sanguine consistit fœdus, quod externis symbolis obsignatur, ut tamen symbola à sanguine contradistincta fœdus dici ipsum propriè nequeant.

Calix ergò prout à sanguine contradis-
guitur, non potest absq; tropo dici Tes-
mentum. Sin calix sanguinem quoq;
ipsum simul præter vas illud externum
vinum contentum designaverit, annè a
tropo in priori dicetur: hic est sanguis
novi Testamenti? Resolvatur enim &
merget hæc: vas externum vini & san-
guinis est sanguis novi Testamenti. Tria
enim ea simul inter se conjuncta non pos-
runt esse absque tropo unum illud termi-
à prioribus iis duobus distinctum. Con-
cludamus ergò non posse absque tropo o-
mninò omni verba institutionis intelligi:
multò verò minus propriè posse vocum po-
culi hoc loco considerari, id quod erat de-
monstrandum. *Et hæc de verbis institu-*
tionis, prout apud Evangelistam Matthæum
leguntur, dicta sunto.

CA

CAP. VII.

In quo examinantur argumenta Chemnitii, è descriptione Institutionis Cœnæ Dominicæ secundùm Marcum, Lucam & Paulum desumpta.

IN descriptione reliquorum duorum Evangelistarum & Apostoli Pauli Chemnitius *ad verborum proprietatem asserendam adducit: 1. Vnum, quod est omnibus commune: Repetitio nempè eorundem verborum: 2. deinde ad specialia quædam accedit. Vtrumq; genus probationis considerabimus ordine.* 1

Ac 1. nego, quòd repetitio iisdem verbis toties facta sit argumentum proprietatis: Esse verò argumentum certitudinis phraseos in Sacramentis usitatæ, & inprimis institutionis his ipsis verbis à Christo factæ, libenter damus. Quæ enim repetuntur toties, de iisdem reddimur certiores: & phrasis repetita sæpiùs est argumentum esse eandem usitatam: & verbis 2

his ipsis instituisse cœnam suam Christum dubitandum nequaquam. At verò certum do, usus, institutio, non sunt firmum argumentum proprietatis verborum. Chatuch quod propriè peccatum significat, significat etiam frequenter oblationem pro peccato *in Exod. & Leritico. & Levit.* 4. ter aut quater in eadem accipitur significatione, ut a *Hieron: ab Oleaster* notavit *Perer: in Gen. lib.* 7. *n.* 25. ergóne repetitio ejusdem significationis toties facta adducitur pro argumento proprietatis, jamque æquè propriè dicetur & peccatum ipsum, & oblatio pro peccato? & ob repetitionem eam propriè dictum putavimus 2. *Cor.* 5. *v.* 21. eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit? itaque iteratio & repetitio non est argumentum proprietatis: sed fidei Apostolorum & Evangelistarum, qui fideliter iisdem verbis referre nobis voluerunt tanti Sacramenti institutionem.

3 *Sed dices*: non esse nudam repetitionem ab Evangelistis tantùm & Apostolis factam: sed Christum ipsum bis institutionem cœnæ sua voce tradidisse & repetiisse, semel in cœnaculo Hierosolymitano: & secundò post ascensionem ad Paulum sua voce repetivisse, & in illa repe-

repetitione, si quid in illis interpretandum judicaverit, declarasse. Eum igitur qui ab illis repetitionibus discedit, & aliam interpretationem alibi quærit, & aliunde accersit, non tam ingratum, quàm contumelioſum existere in tam accuratam diligentiam & paternam illam sollicitudinem filii Dei. Verùm illustrationem addere verbis institutionis repetitionem non negamus. Proprietatem inde firmiter probari nondum intelligimus. Diligentiam ergò & paternam sollicitudinem amplectimur: sed eam non posse cum verborum notorum & usitatorum aliâs impropriete consistere, nusquam & nunquam scriptum. Ubi paterna ea sollicitudo nobis exponitur latius, quàm *Ioh. 17. cap*? annè verò inde evincemus propria esse omnia, quæ sunt eo capite posita? Nec ergò vel repetitio, vel bis ab ipso Christo facta repetitio, vel diligentia accurata & paterna sollicitudo verborum proprietatis certum sunt & indubium argumentum.

Dices: repetitionem esse saltem argumentum, non esse aliunde accersendam interpretationem. Quòd si aliunde intelligit extra & præter scripturam, largimur omninò, non esse aliunde, nisi ex ipsis scripturis 4

petendam interpretationem. Sin id vel locum scripturæ repetitum, quando vera in controversiâ, non posse ex alio scripturæ loco explicari, nec opus esse collatione scripturæ, non opus esse analogiâ fidei ad cognitionem & intelligentiam, sed nudis verbis inhærendum, petit in principio. Id enim inter nos & ipsos quæritur, an ad verborum institutionis veram intelligentiam non adhibeatur rectè consensus aliorum fidei articulorum, ut scripturæ harmonia & consensus rectè conservetur.

5 Sed ad specialia nunc secundo loco accedamus.

Apud Marcum urget: 1. *Verbum* εὐλογεῖν *esse positum loco* εὐχαριστεῖν, *quo verbo usus sit Matthæus. Hanc autem vocem peculiarem divini verbi virtutem significare: exemplo miraculi de quinq; panibus, Quia igitur divinâ verbi Christi virtute panis cœnæ accipit illam nominationem Dei, ut sit corpus Christi & vinum sanguis Christi. Marcus,* inquit, *utitur verbo* εὐλογεῖν. Concedimus certè divinâ virtute & divino verbo fieri, ut panis nominetur corpus Christi: sed id non quæritur, sed an id fiat verbo Dei, ut corpus sit in & cum pane & corporaliter præsens ore manducetur. Huc verò nihil facit verbum εὐλογεῖν. Frequens in nostris Ecclesiis usus est. Ver-

borum Apostoli 1. Cor. 10. v. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, quod græcè exprimitur, τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν: at nullus Theologorum nostrorum hactenus extruxit inde corporalem illam præsentiam & manducationem oralem. Non itaque, magis hanc extruit verbum illud εὐλογεῖν, atque pontificiorum transsubstantiationem.

2. Urget verbum, biberunt ex eo omnes. *Non tantùm*, inquit, *ut ostendat, Apostolos, id quod jussi erant, obedienter fecisse, sed ut apertè declararet, quid verbo bibendi Christus in institutione Cœnæ voluerit. Quidam enim verbum illud in uno & eodem illo loco, quando Christus*, inquit, *bibite, conantur facere ἀμφίβιον, ut duo quasi contradictoria simul significet, scilicet ore haurire, & non ore, sed solâ fide amplecti, prout illud, vel ad vinum vel ad sanguinem Christi referunt, sed Marcus litem illam planè dirimit. Dicit enim Apostolos omnes ex uno illo exhibito poculo bibisse, hoc est, ore aliquid inde sumsisse seu hausisse. Et postea subjungit declarationem, quid illud sit, quod ex poculo illo benedictionis ore sumserint. Hîc est*, inquit, *sanguis meus. Non igitur vinum tantum, sed simul etiam sanguis Christi bibitur, hoc est, ore sumitur.* 6

Consideremus hæc verba ex æquo & bono. 1. Quidam conantur facere hoc 7

verbum

verbum bibite ἀμφίβιον. Quare? quia alibi accipiatur, quando refertur ad vinum, & quando refertur ad sanguinem Christi. Ergonè Chemnitius ipsemet verbum manducationis facit ἀμφίβιον, quando refertur ad panem, & quando refertur ad corpus Christi? Manifestũ est, *inquit, supra cap. 5. p.* 79. ex verbis institutionis, triplicẽ esse manducationem in Cœna Dominica. Prima est manducatio panis, quæ rectè & propriè vocatur physica. Altera est manducatio corporis Christi, quæ licet non fiat physica & crassa ratione, ore tamen juxta verba Christi fit, inquit n. accipite, mãducate, hoc est corpus meum; & hæc vetustâ appellatione vocatur sacramentalis manducatio. Tertia est spiritualis manducatio corporis Christi. Et subjungit: Quæ verò de verbo manducandi & de corpore Christi dico, eadem etiam similiter de verbo bibendi & de sanguine Christi intelligi volo. Ambigua ergò vox manducationis & bibitionis: 1. Oralis physica. 2. oralis sacramentalis, & 3. spiritualis. Ambiguam enim dicimus vocem habentem diversas significationes. Atqui triplicem esse significationem docet. Ἀμφίβιον ergò erit vox bibendi etiam Chemnitio ipsi. Unde v. nota ambiguitas ea seu triplex significatio? Ex verbis institutionis, *inquit*, manu-

manifestum est, triplicem esse manducationem: idq; similiter vult intelligi de verbo bibendi. Ubi verò latet triplex ea significatio, nisi vox una ad diversa objecta relata, diversam quoq; significationem eam obtineat: nec enim potest ostendi aliter, & idem sentimus nos.

2. Nec juvat, quòd Otalis dicatur secundum ipsum jam physica, jam sacramentalis. Nec enim propter nominis identitatem cessat ambiguitas; nec enim ejusdem rationis esse potest physica & non physica. At est physica prior & crassa, quæ circa panem est, non physica & crassa, quæ circa corpus Christi est. At physica & non physica, crassa & non crassa, si Chemnitii modo velimus argumentari, differunt ita, ut duo quasi contradictoria simul significēt, dicit ore haurire, & non ore, sed fide amplecti duo quasi contradictoria significare. Sed meminerit Chemnitius cessare contradictionē, quando refertur ad diversa: ut propterea contradictio cesset, quando ore dicimus bibere vinum, & non ore bibere, sed fide amplecti corpus Christi. 8

3. Nec sequitur: exhibito poculo bibisse, hoc est, ore aliquid inde sumpsisse seu hausisse: ergò hoc aliquid quod orē biberunt est sanguis: hoc enim aliquid nos dici- 9

dicimus esse vinum, ore ergò biberunt aliquid: sed hoc aliquid negamus esse sanguinem, sed vinum. *Dices*: subjungi declarationem, quid illud sit, quod ex poculo illo benedictionis ore sumpserint: hic est inquit sanguis. Sed est petitio in principio: id enim quærimus, quid sit illud, quod ore biberint ex poculo: respondemus esse vinum: quia verò præter vinum in Eucharistia percipitur sanguis, eum negamus ore bibi, sed fide. Adeoque negamus, utrumque & vinum & sanguinem ore sumi.

10 4. Quòd si unitatem vocabuli & quidem in uno & eodem illo loco velit urgere Chemnitius, notũ id esse dicemus, tum ex communi usu, tum ex ipso Chemnitio ex unico vocabulo manducandi & bibendi triplicem significationem è verbis institutionis producente, ut vox eadem pro materiæ & subjecti diversitate diversam etiam assumat & induat significationem. Eodem loco eadem verba dixit ambigua *Apostolus* 2. *Cor.* 3. 3. scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Et *Propheta Ioel c.* 2. *v.* 13. scindite corda vestra & non vestimenta vestra: ut propterea non vocis, nec loci unitas, sit argumentum pro-

proprietatis & vocis ab ambiguitate omni liberæ. *Hæc ad Marcum: ad Lucam transeamus.*

Hîc 1. notat *Lucam à Paulo formam institutionis Cœnæ potissimùm accepisse: Paulum verò non ab homine, sed ab ipso filio Dei, non sedente in summis infirmitatibus in cœnaculo Hierosolymitano, sed recepto tum in gloriam & sedente ad dextram virtutis & majestatis Dei, post ascensionem. Et hâc repetitione*, inquit, *ipse filius Dei omnium certissimè ostendere voluit articulum ascensionis suæ in cœlum, & sessionis ad dextram Patris, nequaquam tollere aut evertere propriam & nativam sententiam institutionis.* Ita ille. 11

1. De repetitione diximus superius. 2. Ignoratio Elenchi est: ecquis enim unquam nostrûm dixit, articulum ascensionis & sessionis ad dextram tollere aut evertere propriam & nativam sententiam institutionis. Imò ne evertat & tollat studiosè curamus; atque hinc noluimus in Cœna admittere dogma ubiquitatis & multipræsentiæ, quod pugnat cum veritate ascensionis, & tollit veritatem sessionis ad dextram factam non ubique, sed in cœlis, ne propria & nativa sententia institutionis everteretur & tolleretur. Memores jam ante, quum durum esse sermonem dicerent Capernaitæ, quòd 12

cora

caro ejus verè sit cibus, & sanguis ejus verè sit potus: dixisse Christum, Hoc vos scandalizat. Si ergò videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius *Ioh. 6. v. 61.62.* Unde didicimus, ascensionem non esse opponendam carnis Christi & sanguinis manducationi & bibitioni. 3. Confundit verbi sententiam cum proprietate verborum. Nunquam in rebus tropus est, sed in verbis res significata semper arguit propriam & nativam sententiam, tametsi verbis & vocabulis tropicis ac figuratis efferatur. Nunquam pax ipsa tropica est: si vel maximè tropicè dictum, Cedant arma togæ. Hinc nos libentissimè largimur: Esse aliquam propriam & nativam sententiam institutionis Cœnæ Dominicæ, eam nempè quam in Ecclesiis nostris tuemur nos, non verò eam quam tuetur Chemnitius: si vel maximè proprietatem sermonis & vocum negemus, utpote veræ, propriæ, nativæ ac genuinæ sententiæ Eucharistias contrariam.

13 2. *Vrget ordinem & circumstantias temporis, quòd μετὰ τὸ δειπνῆσαι, quòd scilicet post esum agni paschalis, absoluta altera etiam Cœna, quæ illum subsequi solebat, Cœnam hanc Dominicam Novi Testamenti instituerit. Quia enim,* inquit, *absoluta manducatione agni paschalis, & conclusa*

conclusâ etiam vulgari Cœnâ, Christus accepit panem, & actis gratiis, illum frangit & præbet discipulis, addito mandato, ut accipiant & manducent: manifestum est, Christum novum & peculiare aliquid ipso ordine insinuare. Hactenus nihil horum negamus: præcessisse esum agni paschalis, concedimus: subsequutam inde Cœnam alteram illam de qua diximus *superiùs è Baronio anno* C. 34. *n.* 43. *& 45. è libro rituali Hebræorum*, quamque in convivio paschali mensam posteriorem esse diximus, & fieri ejus mentionem apud *Lucam* 22. *v.* 16. 17. non negamus: & præter hæc novum quid & peculiare aliquid, nondum usitatum hactenus instituisse, ambabus ulnis amplectimur. Instituit certè Sacramentum Eucharistias, alterum novi Testamenti Sacramentum, nondum ex eo usitatum & usurpatum. Sed quid inde? *Quæritur autem*, inquit Chemnitius, *quid illud sit, quod Christus externâ exhibitione Apostolis præbet, quodq; jubet ore ipsos accipere. Num igitur vulgarem cibum ipsis ad naturæ necessitatem præbet? Certè non: vulgarem enim cœnam solenni ritu ita concluserat, ut affirmaret, se eam amplius non usurpaturum. Num verò tantùm typicum aut symbolicum aliquid est, quod Christus præbet, & Apostoli ore accipiunt, sicut fuit manducatio agni & azymorum? Certè paulò*

antea Christus figuris & typis finem imposuerit. Quidigitur est, quod Christus exhibet, & Apostoli ore accipiunt, si non est communis panis, nec etiam typicus tantùm aut symbolicus? Respondet autem ille, qui est veritas, sapientia & potentia Dei: Quod externa exhibitione vobis præbeo, quod ore vestro sumitis, Hoc est corpus meum.

14 Sed ubi Christus id dixit Chemnitii, quod externa exhibitione vobis præbeo, quod ore vestro sumitis, Hoc est corpus meum? A Chemnitio id scribi, ab ejus assectis id asseri meminimus: in scriptura id dictum, scriptum alicubi non meminimus. Petitio ergò in principio est: quod enim in controversiam venit, id tanquam concessum jam & manifestum dari sibi petit. *Sed dices, id sequi necessariò, ex enumeratione sufficienti, & negatione omnium partium, concludi, in cœna dari corpus Christi.* Ita enim scriptum in margine. Nonnegamus concluſum marginale; sed fatemur ultrò, dari in Cœna corpus Christi, idq; ex vobis institutionis certũ esse, asserim⁹ omnes. Sed nigrum, non respondet rubro: marginale, non ei, quod in textu est. In textu enim concluditur: quod externa exhibitione vobis præbeo, quod ore vestro sumitis, Hoc est corpus meum. Sed hæc con-

cluſio

clusio longè alia est & à priori marginali diversa: marginalem concedimus, non æquè eam, quæ in textu est. *Sed sequitur ea, ais, ex sufficienti enumeratione & negatione omnium partium.* Videamus. *Aut vulgaris, dicis, Cœna est, qualis erat in mensa posteriori, aut typica & symbolica, sicut fuit manducatio agni & azymorum, aut oralis corporis Christi: sed neutra priorum: tertia ergò.* Itane omnes partes sufficienter enumeravit, nullaque præterea supersest? id enim ad hoc genus argumentandi est necessarium. At verò dicebat superiùs, manifestum esse ex verbis institutionis esse triplicem manducationem, & tertiam esse dicebat, manducationem spiritualem corporis Christi. Sed ea nec vulgaris est, nec typica, nec oralis: non ergò sufficiens est ea partium enumeratio. Respondebo enim ego Chemnitio, quid si non oralis, sed spiritualis: quam omisit Chemnitius, sed quam nos agnoscimus. Non jam dicã, quòd non satis candidè egerit in nominanda orali manducatione, quæ duplex ipsi: physica altera, altera non physica, ut altera panis sit, corporis altera: sed illã planè omisit, nõ nisi hujus mentione facta. Tametsi itaq; res ea perìde sit Chemnitio, qui non sollicitus est amplius, dummodò oralis sit: nostra tamen plurimum refert,

qui id perpetuò urgemus, eam Oralis manducationis diversitatem generare ambiguitatem, adeoque nec esse sufficientem enumerationem, nec eodem modo accipi verbum edendi & bibendi, quando vel ad symbola, vel ad corpus ipsum refertur, ut propterea tantoperè celebrata ea propositas nondum sit evicta: negabo enim & perpetuò negabo, oralem manducationem physicam & non physicam posse utrinque absque tropo vel dici, vel admitti. Ut propterea si vel maximè oralem evincent Chemnitius: non tamen à tropo liberam esse institutionem Cœnæ Dominicæ evicisse dici possit: quæ nunc ea Helena est, de qua & pro qua saltamus.

15 2. Est etiam ambiguè dictum, non esse aliquid symbolicum, quod Christus præbet & Apostoli ore accipiunt: & amphibologicè dictum, non esse typicum & symbolicum. Symbolicum enim non ita restrictum est ad vetus Testamentum, quo minus sua etiam symbola habeat Testamentum novum. Et ita alia signa & signacula esse veteris Testamenti, alia novi, docet *August. lib. 19. contra Faustum Manichæum cap. 16*: Non dicit, symbola seu signa, seu signacula, tantùm esse veteris Testamenti, non etiam novi: sed alia esse atque alia uter-

utriusq;. Itaque est & hîc aliqua Cœna symbolica, quando nimirum panis manducatur is, & vinum bibitur illud, quod est signum visibile gratiæ invisibilis. Et usus est symboli appellatione *Theodoretus dial. 1. qui inscribitur* ἄτρεπτος: ipse igitur Salvator noster, *inquit*, permutavit nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuit, symbolo verò corporis nomen. *Et paulò pòst*: is visibilia symbola corporis & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens. Non igitur abhorret ab hâc symboli appellatione vetustas in hoc Sacramento: ut propterea non videam, quin symbolica quoq; possit hæc Cœna appellari, tametsi alia sit à symbolica ea Cœna agni paschalis. Malè verè conjungit typos cum symbolis: specialius illo vocabulo utimur communiter, ut typo veteris Testamenti respondeat antitypus novi Testamenti. Atque ita à negatione typi non sequitur propterea negatio symbolorum. Unde amphibologia nascitur: quod enim de typica Cœna negabitur, si res distinctè agatur, de symbolica potest affirmari. Et vera erit assertio Chemnitii, Cœnam non esse typicam & symbolicam, lege Enunciationis compositæ copulatæ, quæ requirit ad sui veritatem,

ut utrumq; membrum sit verum: falsa verò tota erit, si vera pars una, falsa altera. Sin dividantur membra, dicemus, non esse typicam, sed tamen symbolicam cœnam Eucharistiam, quia symbola habet externa, quibus participamus & ipsis præter res significatas gratiæ internæ invisibilis. Quanquam è veteribus Patribus Græcis multi etiam usi sunt vocabulo typi & antitypi in hoc negotio Eucharistias. Ita *Macarius hom.* 27: item in Ecclesia offerendũ esse panem & vinum, typum seu figurã carnis ejus ac sanguinis: atq; eos qui participant de pane visibili spiritualiter carnẽ Domini esuros. *Nazianzenus in apolog.* Quomodo auderet offerre ipsi foris magnorum mysteriorum antitypum? Et in Epitaphio fratris Cæsarii: Et sicubi aliquid antityporum venerandi corporis aut sanguinis manus collegerat, id permiscere lachrymis. *Item ad cives Nazianz.* Et hanc mensam ad quam communiter accedimus, & typos meæ salutis. Ut propterea non ita absurdè dici possit cœna vel symbolica, vel typica, propter adhibita symbola & typos in hac cœna, gravissimorum Patrum consensu.

16 3. *Sed dicis* intelligendam esse sententiam exclusivè, non inclusivè. Ita enim sonare verba: Num verò tantùm typicum aut

aut symbolicum aliquid est, quod Christus præbet & Apostoli ore accipiunt, sicut fuit manducatio agni & azymorum? Certè paulò antea Christus figuris typicis finem imposuerat. Quid sibi velit exclusiva illa, tantùm typicum aut symbolicū aliquid est: nondum satis intelligo. Rem igitur explicemus. Quòd si 1. per typos & symbola tantùm intelligit typos veteris Testamenti, quibus Christus finem imposuerit, largimur veteris Testamenti Ceremoniis & typis morte sua finem imposuisse Christum. Sed inde non sequitur: typi & symbola veteris Testamenti finem habent: Ergò nihil typicum & symbolicum habetur in novo Testamento. Nam usos Patres symboli & typi vocabulo in Sacramento Eucharistias constat è dictis superius. Nec docuit aliud *Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 20. cap. 21*: Hujus sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur: post ascensum Christi per Sacramentum memoriæ celebratur. Quid enim aliud est per Sacramentum memoriæ celebrari, quàm per symbola ea specialiter ad usum hunc divinitus ordinata celebrari: quæ si typos dicere nolis,

per

per nos licet, ita tamen appellasse Patres constat 2. Sin symbolicum & typicum tantùm intelligunt, excluso typorum & symbolorum correlato: ita nihil fuit vel in veteri vel in novo Testamento symbolicum & typicum tantùm. Fide dicit *Epistola ad Hebr. 11. v. 4.* plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo. An verò ut Cain, ita & Abelis fides intuebatur tantum symbola & typos, & non respiciebat ad veritatem promissionis in Christo? Cain itaque fuerit sacrificium symbolicum & typicum tantum è defectu fidei: at non ita erat vel ex instituto Dei, vel juxta fidem Abelis, in sacrificio externo spectantis agnum occisum ab origine mundi *Apoc. 13. v. 8.* Et manducationem agni paschalis & azymorum non fuisse ita symbolicam & typicam, ut inde Christus excluderetur manifestum è 1. *Cor. 5. v. 7:* Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. 3. Sin intelligatur inclusivè, quòd percipiant & symbola, & corpus ipsum: jam libenter concedimus proponi nobis in Eucharistia & offerri & exhiberi ipsum Christi corpus: ita tamen ut symbola ore; corpus verâ fide percipiatur & manducetur. Atque adeò deficit & hâc jam parte enumeratio sufficiens omnium partium: Erit enim cœna 1. vulgaris.

garis. 2. symbolica & typica veteris Testamenti. 3. erit symbolica novi Testamenti, quæ & Christum & symbola complectitur. & 4. erit spiritualis: atque adeò è defectu & non sufficienti enumeratione partium firma illatio, ad quam omnium partium enumeratio requiritur, ut remotis partibus omnibus aliis statuatur una, non erit. Hæc verò nostra erit, ut symbola quidem ore, ipsum verò corpus & sanguis Christi fide percipiatur.

3. Argumentatur ex additamento, τὸ 17
ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. *Cum etiam Ecclesia appelletur corpus Christi, & posset exponi de symbolico aliquo corpore Christi, ipse post ascensionem tradidit Paulo declarationem, quam à Paulo Lucas accepit: Quod in cœna mea, in conventu Ecclesiæ in terris exhibetur, Hoc est illud corpus, quod pro vobis traditur. Quia igitur totius controversiæ status, in hoc cardine versatur, an verbá cœnæ accipienda sint in propria & nativa sententia, an verò per tropum commutanda sint in significationem figuratam: Et ipse filius Dei post ascensionem suam ad verba primæ institutionis adjecerit talem* ἐξηγητικὴν *clausulam, Ex illa certè clausula & non aliunde discendum est, quomodo verba illa sint accipienda. Clausula autem hæc est, Hoc est corpus meum,* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. *Quæ*

clau-

clausula nulla ratione admittit, ut verba alio quàm sicut in propria & nativa sententia sonant accipiantur. Hactenus ille.

18 Hîc nos 1. concedimus in vero usu sacræ cœnæ offerri & exhiberi, accipi etiam & manducari à fidelibus, non corpus aliquod symbolicum, non corpus aliquod figuratum; sed hoc ipsum corpus, quod nobis fuit traditum & crucifixum. Nec enim corpus ullum est aliud, quod velim vel in me manere, vel in quo manere velim & ipse, quàm ipsum verum corpus Christi: non est aliud, quod spiritualem famem explere, & desiderio spirituali possit satisfacere. Sed 2. hinc non sequitur, esse corpus hoc ipsum corporaliter præsens in, cum & sub pane; nec sequitur, corpus ipsum manducari oraliter, hæc enim est principalis disputatio & controversia. Inde verò tertio loco sequitur disputatio minùs principalis, notionalis, ut eam libenter appello: an sit locutio tropica & figurata, quando dico, me comedere corpus Christi. Esto figurata comedendi vox, quando ad Christi corpus refertur: ergone corpus Christi ipsum in se & in sua substantia vel tropicum dices esse, vel figuratum? probet ergò hanc consequentiam Chemnitius: Comedi corpus Christi, dicitur tropicè

& figuratè: ergò non ipsum corpus Christi, quod pro nobis est traditum comeditur, sed corpus aliquod figuratum & tropicum. Verum enim & proprium Christi corpus comeditur: sed vocabulum comestionis non eodem modo de pane & corpore dicitur: priori enim sensu propriè & physicè accipitur, quando de pane dicitur: tropicè verò & figuratè de corpore Christi: nec enim eundem manducationis vel modum vel significationem possunt tribuere vocabulo Comedendi, quando ad utrunque refertur, ipsis fatentibus. Doceant ergò quid impediat, quò minus figuratam esse & tropicam locutionem dicamus, verum Christi corpus, quod pependit in cruce comedi à nobis. Elenchus ergò consequentis in argumento est: Nos enim antecedens concedimus: offerri nimirum & manducari corpus Christi dicimus, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον: negamus tamen consequens, quòd inde sequatur, corporalis præsentia in & cum pane, vel oralis manducatio vel sermonis proprietas ab omni tropo libera.

4. Pergit & dicit: *Distinctè in hac priori parte traditur & describitur: substantia Cœnæ, quòd constet pane & corpore Christi, & simul describitur modus exhibitionis & sumptionis. Cum pane enim, qui videtur, exhi-*

exhibetur, & ore accipitur ipsa etiam substantia corporis Christi. 2. Traditur & describitur salutaris usus ejus, quod in cœna Domini exhibetur & à vescentibus sumitur: Hoc, inquit, facite in mei commemorationem. Et paulò pòst: *Atque ita distinctè traditur & describitur manducatio sacramentalis & spiritualis: Nam distinctè & disertè traditur, quomodo substantia cœnæ, quæ constat pane & corpore Christi, accipiatur, ore scil. vescentium. Et hæc est sacramentalis manducatio*, de qua cap. 5. *dictum est. Deinde distinctè etiam & disertè describitur, quomodo vescentes, eo quod accipiunt salutariter utantur, fide scilicet. Et hæc est spiritualis manducatio. Quando verò hæc de substantia cœnæ & de usu ejus, item de Sacramentali manducatione corporis Christi & de spirituali ejus manducatione, quæ filius Dei distinctè tradidit, non confundantur, tunc propria & nativa verborum sententia, planè & manifestè probata & confirmata est.* Ita ille.

20 1. Non negamus distinguendam esse manducationem sacramentalem à spirituali: sed negamus inde inferri vel oralem manducationem corporis Christi, vel verborum proprietatem absque tropo & figura. Meminimus ab *Augustino* dictum *lib. 21. de civitate Dei cap. 25*: ipse dicens: qui manducat carnem meam & bibit sanguinem

nem meum, in me manet & ego in eo: ostendit quid sit non Sacramentotenus, sed revera corpus Christi manducare & ejus sanguinem bibere: hoc enim est in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Videmus ergò Augustinum tradere distinctè manducationem sacramentalem & spiritualem, sed eundem agnoscere figuratam locutionem, manifestum est *è lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16:* Si flagitium aut facinus, *inquit*, videtur locutio præceptiva jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaveritis, *inquit*, carnem filii hominis, & sanguinem biberitis, non habetis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere. Figura est ergò præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata sit. Distincta ergò ea consideratio, verborum institutionis *secundùm Augustinum* non excludit figuratam, aut, ut hodiè loquimur, tropicam locutionem.

Et hinc jam consequens est, aliquem 21
esse tropum seu figuratam locutionem in verbis institutionis: sive enim sacramentalem innuat manducationē, sive spiritualem:

Tro-

Tropum certè in alterutra agnoscit Augustinus: quia verò utraq; in verbis institutionis traditur, Chemnitio ipso teste: in verbis ergò institutionis non potest esse locutio usitata tota, sed figurata. At contrariam concludebat Chemnitius: non ergò vera consentanea Augustino est conclusio ea, vel saltem non manifesta & evidens, ut satisfaciat fidei nostræ, quæ non nisi iis quæ certa sunt inhæret. 3. Imò dicimus non sacramentalem manducationem necessariò designare tropum: Est enim alia & diversa ab orali physica, ipso etiam fatente. Fieri ergò nequit, ut utraque sit propria. Est verò propria oralis physica: sacramentalis ergò propria esse nequit. 4. Et ubi quæso docetur, quod ille tanquam manifestum sumit, ore accipi ipsum Christi corpus? Et ubi id scriptum, comedi ore corpus non physicè, sed sacramentaliter, non crasso modo, sed subtili? certè restrictivæ illæ sunt argumento vocem comedere non accipi propriè, sed certo quodam modo, ad quem manducatio ea restringatur. Ea enim propriorum vocabulorum est ratio, ut seipsis propriam suam significationem repræsentent. Sed limitationes & restrictæ eæ argumento sunt, vocem non sumi simplicius, & signi-

& significationem eam non immediatè derivari ex ipsa voce, sed modificatè: ea verò vocis modificatio, quid potest in hoc genenere esse aliud, quàm topica quædam & figurata locutio. 5. Et certè ita se habet in voce edere, quando pro spirituali manducatione accipitur; limitatio enim ea arguit, non propriè, sed translatitiè sumi vocem eam: quæ translatio quoniam petitur è verbis institutionis, non esse absq; tropo & modificatione verba institutionis, inferimus necessariò.

5. Sunt tria adhuc reliqua apud Lucam 22
explicanda: *primum ait esse minutulum, quòd Paulus in descriptione prioris partis, sicut Erasmus annotavit, & Lucas in descriptione posterioris partis, Copulam* (Est) *omittunt; nec enim in omissa ea particula posse collocari tropum.* 1. Minutulum certè, & adeò minutulum, ut verum sit idipsum de Luca: de Paulo falsum, ut propterea rectè aliena hic Erasmi fide agat, non propria. 2. Et meminit aliâs, privatam eam opinionem unius hominis non esse in Ecclesiis nostris receptam. Nec enim admittimus in copula ea tropum, nisi forte ratione prædicati, cujus pars copula est, fiat, ut in tropo explicando redundet aliquid ejus significationis tropicæ ad copulã.

Ut

Ut quando *Genes.* 41. dicitur, septem bo
& septem spicas, esse septem annos: &
semen esse verbum Dei: hic tropus, qu
cessariò in his verbis ponitur, redunda
cessariò in prædicati particulam Est, u
significat explicetur: Tametsi in cop
principaliter tropus non inhæreat,
in prædicato toto, quod non po
nomine solo constare, sed necessa
verbum includit, ut notum est Log
sed transeat minutulum illud.

23 *Inde secundo loco fusè admodùm laborat n
probando, absq; Tropo dictum, quòd poculum
novum Testamentum.* Et is quidem mul
explicat sensum & sententiam horum ver
borum. Ubi nos concedimus libenter
1. Christi sanguinem inde esse & dicino
Testamenti sanguinem, quia eo bona no
vi Testamenti acquisita sunt effusione
erga Deum, & distribuuntur comm
nicatione erga fideles. 2. Et rectè dic
Hoc esse novum Testamentum in sangu
Christi, quando sanguis Christi in passio
effundebatur: illa enim effusione novu
Testamentum seu fœdus inter Deum & g
nus humanum ad acquirenda bona Test
mentaria fuisse confectum. Ita in pocu
cœnæ rectè dici: Hoc est novum Tes
mentum in sanguine Christi: illâ
com

communicatione Deum novum illud Testamentum seu fœdus cum singulis communicantibus sancire, & obsignare propter applicationem. Verissimè. 3. Sed non de veritate verborum Christi nunc quæritur: quis enim in dubium revocabit verba ab ore veritatis ipsius profecta: sed de proprietate. Hinc disputabamus *superiùs ad Matth. in fine cap. 6.* saltem in alterutra Evangelistarum descriptione tropum inveniri, si non in utraque: nec enim eodem dictum modo: Hic est sanguis meus novi Testamenti apud Matthæum: & apud Lucam, Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo.

Nec ad rem quidquam facit æquipollen- 24
tia: *quia*, inquit, *necesse est, æquivalentia & ejusdem sententia verba esse, quæ apud Matthæum & Lucam extant. Unum igitur ex alio necessariò & rectissimè explicatur & intelligitur.* Nos enim æquivalentiam non negamus: sed esse eam argumentum proprietatis verborum negamus. Æquipollentia enim, seu æquivalentia spectat sensum & sententiam, ac potest consistere inter propria & tropica: inter tropica & tropica, inter propria & propria. Ideoque veritatem veritati divinam divinæ nequaquam opponimus: & æquè verè locutũ esse

Christum in utraque descriptione, ... vocaverit in dubium, anathema ... sed proprietatis negatio non est ver... tis abnegatio. Et ita in catena illa, ... appellat, aurea Lutheri rectè dictum ... gnoscimus: sanguis testamentum, ... est testamenti sanguis: sed nondum ... ctenus inde probatam proprietatem ... nimadvertimus. *Ita in harmonia Ca... vinus ad v.* 28. *Matthæi*: Hic est ... novi Testamenti. Lucas, *inquit*, & ... lus aliter novum Testamentum ... guine, eodem tamen sensu, quia ... hoc non nisi spirituali sanguinis potio... sancitur, ut firmum sit & efficax. Eodem ... inquit sensu: agnoscit ergò æquivalentiam ... an propterea verborum proprietatem ... agnoscere concludes?

25 Tertio loco subjungit: *Unum ... inquit, peculiare & valdè illustre argumen... habet Lucas, quo propriam & nativam ... tiam luculenter probat & confirmat. ... enim verba*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, ... posuit, *ut juxta naturam & proprietatem ... monis Græci, non possint aliò, quàm ad po... lum referri, sicut omnes Græcè docti non ... Sensus igitur erit: Quod in poculo benedic... nis exhibetur, quod ex illo poculo commu...

tei ore hauriunt, hoc pro nobis effusum est in remissionem peccatorum. Non igitur vinum tantùm, sed verus Christi sanguis substantialiter simul adest, exhibetur & poculo illo in cœna sumitur. Et subjungit: Hoc argumentum tam fortiter urget adversarios, ut Beza nullam aliam elabendi rimam invenire possit, quàm ut fingat, vel textum non rectè habere, vel esse solœcissimum. 1. Imò nos invertimus argumentum: τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον refertur ad poculum necessariò, ergò non potest esse propria, sed figurata locutio: 1. propriè enim poculum continens est, quod quando pro contento ponitur, cessat proprietas, *ut disputabamus superiùs.* 2. quia contentum secundum ipsum Chemnitium duplex est: & vinum & sanguis; τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον verò non ad vinum, sed ad sanguinem solùm referri potest, synecdoche saltem erit. 3. Quis verò modus argumentandi: argumentum hoc urget Bezam, ergò urget adversarios? & 4. hæc elabendi rima non est Bezæ, nec enim inde tropicam vel astruit, vel negat, sed tantùm grammaticam constructionem & convenientiam spectat. 5. namque aliâs non nos negare, ipsum sanguinem pro nobis effusum

offerri nobis, & à fidelibus bibi, toties jam dictum. *Et hæc ad Lucam annotare visum est.*

CAP. VIII.

De Manducatione indignorum.

1 ERant examinanda jam nobis argumenta ea, quæ depromuntur è descriptione institutionis Paulinæ, quæque desumuntur ex aliis scripturæ locis, in quibus expressa fit mentio dogmatis de cœna, quæque petuntur è testimoniis antiquitatis. Sed nos in præsenti intermittere ea cogimur brevitatis studio: poterit de his ferri judicium è jam dictis: & erit dicendum de quibusdam in sequentibus, in doctrina de manducatione indignorum, ad quam nunc secundo loco accedimus.

2 Menzerus in Exegesi August. Confess. art. 10. n. 16. ita scribit: *Hospites* Apollos 1. Cor. 11. dicit, *alios dignè manducare, alios indignè. Non minus autem hos, quàm illos integram cœnam, hoc est panem & corpus, vinum & sanguinem* Christi *accipere. Idq; conatur demonstrare hoc syllogismo: Quisquis baptiza-*

rum Christianorum in sumptione sacræ cœnæ manducando & bibendo benedictum hunc panem & vinum, reus sit ipsius corporis & sanguinis Christi, & sibiipsi judicium edit & bibit, eo ipso, quòd in illa manducatione & bibitione non discernit corpus Domini: Eum certum est, manducare & bibere corpus & sanguinem Domini. Christiani baptizati indignè, hoc est, sine veræ pœnitentia & fide ad sacram cœnam accedentes, manducando & bibendo benedictum hunc panem & vinum, rei fiunt ipsius corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 11. v. 29. *& sibi ipsis judicium edunt & bibunt* v. 29. *eo ipso quòd in manducatione illa & bibitione non discernunt corpus Domini*, ibidem. *Quare certum est, Christianos baptizatos indignè, hoc est, sine vera pœnitentia & fide ad sacram cœnam accedentes manducare & bibere corpus & sanguinem Domini.*

Verùm syllogismi hujus ea vis non est, 3
ut demonstrationis robur sustinere possit: *de quo inferiùs.*

Bucerus *in explicatione articuli* 3. *Concordiæ Vitteberg.* rem hanc ita declarat: indignis porrigi etiam cum pane corpus Domini, & sumi hoc ab eis, positum est propter verba *Pauli* 1. *Cor.* 11. *qui scribit*, indignè

sumentes reos fieri corporis & sanguinis Domini: Et loquitur illic de iis, qui in Ecclesia sunt, & fidem Sacramenti habent, nec tamen corpus Domini dijudicant, hoc est, donum hoc Christi non digne æstimant. Omninò enim tria genera hominum Sacramenta sumere possunt: Quidam, qui omnia hîc contemnunt & rident, qui prorsus impii sunt, nec quicquam Domino credunt: hi nihil quàm panem & vinum agnoscunt & sentiunt, eoque nec amplius percipiunt, quia pervertunt verba & institutionem Domini. Alii verbis his Domini porrigentis corpus suum credunt, eaque fide Sacramentum accipiunt, ut simul rem Sacramenti percipiant, nec tamen donum hoc Dei dignè perpendunt: hi eâ indignitate reos se faciunt corporis & sanguinis Domini, quæ tamen sumere volunt & sumunt, quia verba & institutionem Domini amplectuntur: non manducant autem revera, ut Augustinus dicit, hoc est, non fruuntur plenè hoc cibo vivifico, quem in mentem non satis demittunt. Tertii sunt, qui non credunt tantùm institutioni Domini & accommodant se illi Sacramento sumendo, & simul viva fide omnia expendunt, considerant & amplectuntur, indeque virtutem & jucunditatem

hujus cibi solidè percipiunt. Illustrat hanc rem eleganter Bucerus à similitudine verbi Evangelii, cujus par est ratio atque Sacramenti. Eandem sententiam de duplici genere indignorum tribuit Paulo Ebero *Osiander histor. Eccles. cent. 16. lib. 3. cap. 53. & 65.*

Quæstionis ergò de manducatione indignorum sensus duplex est: prior est, ut per indignos intelligantur impii, infideles & hypocritæ: posterior, ut intelligatur non de impiis, infidelibus & hypocritis, sed de indignis Christianis, qui licet institutionem & verba Christi servant, nimis tamen tepida fide ad Sacramenta accedentes, non satis doni istius, quod istis offertur, magnitudinem apud se animo æstimant, atq; perpendunt: Istos enim hac sua indignitate, corporis & sanguinis Christi, quæ majori desiderio animi ab iis accipi oportebat, reos fieri, & judicium ista fidei tepiditate sumere. Innuitur hæc distinctio quæstionis *in orthodoxo consensu cap. 8. pag. 384.* Et hinc distinctè respondendum, pro distinctione quæstionis. Priori sensu negamus, indignos, hoc est impios, infideles & hypocritas fieri participes corporis & sanguinis Christi. Posteriori verò libenter concedimus, indignos, hoc est, qui Sacramenti 4

hujus magnitudinem & dona non satis quidem perpendunt, & tepidâ fide ad Sacramentum accedunt, servant tamen institutionem & verba Christi, fieri participes corporis & sanguinis Christi. Et de hoc genere posteriori interpretamur Apostolum 1. *Cor.* 11. Hanc rem exposuit eleganter Laurus *in defensione doctrinæ Christianæ contra Albert. Episc. Abric.* Quum, *inquit*, expendere lubet, quales D. Paulus agnoscat hos Corinthios, quos hîc corripit: fatendum est, eos ipsi habitos inter membra Christi, & qui fidem haberent. Nam vocat eos fratres: & judicium, in quod inciderunt ob admissam socordiam & indignitatem, à judicio mundi separat, & sibi commune facit. Dum judicamur, *inquit*, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Proinde si Corinthii, etsi adeò indignè manducassent, ut id sibi judicii accersissent, quòd multi apud eos ægrotarent, ac morerentur, tamen quia verè in Dominum credebant, ac cum fide, quanquam non satis attentâ, cœnæ adessent, Dominum manducabant & ad salutem, idque judicium in quod inciderunt ob indignitatem suam temporarium fuit, & indulgentiæ paternæ, ut quo ideò corripiebantur, ne cum reliquo mundo condemnarentur.

Quòd

Quòd si verò de priori genere indignorum, hoc est de impiis, infidelibus & hypocritis sermo sit, quia nec sensus nec ratio ad Christi corpus pertingit; una verò fides unicum ac solum instrumentum est ejus percipiendi, fit inde, ut qui eâ destituuntur, ne quidem percipere possint corpus Domini. 5

Quod verò Menzerus urget, si indefinitè accipiatur, concedimus. Quòd si enim loquatur de indignis iis, de quibus posteriori sensu agebamus, damus libenter, quia fide aliquâ sunt præditi, eos participare etiam corpus & sanguinem Domini. Contrahere verò reatum & judicium non damnationis, sed correptionis: quod piis etiam convenit & fidelibus, propter infirmitates ipsis adhuc inhærentes. Sin præter sensum & mentem Apostoli velit ad impios etiam locum eum extendere, negabimus propositionem Mentzeri: & certum esse negabimus, mãducare & bibere corpus & sanguinem Domini, quisquis baptizatorum Christianorũ in sumptione sacræ cœnæ manducando & bibendo benedictũ hunc panẽ & vinum, reus sit ipsius corporis & sanguinis Christi, & sibi ipsi judicium edit & bibit, eo ipso, quòd in illa manducatione & bibitione non discernit corpus Domini. Nec 6

enim reatus causſa tam à manducatione & bibitione ipſa dependet, quàm à contemtu & profanatione Sacramenti: cujus profanatio in res ipſas redundat.

7 Expoſuit hanc rem eleganter Or[illegible] *Conſenſus cap. 8. pag. 378*: ſi omnino, [illegible] & rectè cauſſam, cur verè judicium ſibi [illegible] mant, & rei fiant indigni, intelligere & [illegible] re libeat: certè Paulus non ideò hoc, [illegible] corpus & ſanguinem Chriſti revera [illegible] piant, fieri docet, ſed quòd corpus Dom[illegible] non dijudicant, hoc eſt, ut Cyprianus, Au[illegible] guſtinus & Hieronymus interpretantur, quia panem hunc à communi cibo non diſcernunt, ſed negligenter & indiſcretè, ut quemlibet alium & vulgarem cibum, non autem ut Sacramentum, ſeu in myſterio corpus Chriſti, pro nobis in mortem traditum, ſpirituali intelligentia fidei percipiunt, atque ſic in precio non habent, ſed aſpernantur, profanant, & conculcant corpus & mortem Chriſti. Cujus cum memoriam in hoc myſterio peragere, ejusque ex inſtitutione & promiſſione divina participes fieri deberent, propter hunc contemtum, res ipſæ in myſticis earum ſymbolis repudiatæ & contumelia affectæ videntur. *Vide hæc fuſiùs deducta loco citato, & Vu[illegible]*

lib. 12. de minist. verbi Dei & Sacramentorum cap. 1. & seqq.

Alius quidam conclusionem eam formar in hunc modum: mit welcher handlung die vnwürdigen Christen wider Christi leib vnd blut im heiligen Abendmahl sündigen/vnd eine verdamliche sündenschuld also auff sich ziehen/ daß sie schuldig sind an dem leib vnd blut deß HErren: in vnnd mit derselben handlung müssen sie ja mit dem leib vnd blut Christi im heiligen Abendmahl zuschaffen haben. Nun aber ist das mündliche essen vnnd trincken im heiligen Abendmahl die jenige handlung/ in vnd mit welcher die vnwürdigen Christen wider Christi leib vñ blut im heiligen Abendmahl also sündigen. Darumb müsse das mündliche essen vnnd trincken den vnwürdigen Christen im heiligen Abendmahl mit dem leib vnd blut Christi in solchem heiligen Abendmahl etwas zuschaffen haben: das ist/ die vnwürdigen Christen müssen im heiligen Abendmahl Christi leib vnd blut vermittelst brots vnd weins

in

in einem vnbegreifflichen geheimnus essen vnd trincken.

9 In hoc syllogismo amphibologica est propositio, falsa assumptio, & plus in conclusione, quàm sequitur è præmissis. Nec enim 1. ut de conclusione primo loco agitur, si vera est hæc conclusio: oralis manducatio & bibitio indignorum in sacra cœna cum corpore & sanguine Christi in ea sacra cœna aliquid habet conjunctum, quod agat, (muß etwas zuschaffen haben). Ergò vera propterea est explicatio, hoc est, indigni Christiani necessariò in sacra cœna Christi corpus & sanguinem mediante pane & vino in incomprehensibili mysterio comedunt & bibunt. Nec enim ex indefinita ea, aliquid, etwas zuschaffen habe: licet definire & determinare argumenti, ergò hoc præcisè, ut manducent & bibant. Paulus enim definivit nobis illud aliquid, quomodo versentur indigni, circa corpus Domini, quando scribit, Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, *non dijudicans* Corpus Domini. Videt ergò quid sit Aliquid illud, quo contrahitur reatus. Non tam manducatio & bibitio ipsa, quàm non dijudicando corpus Domini. Et hinc jam secundo patet amphibologia propositionis. E quo contra-

m

tur reatus in actione aliqua, circa idipsum tanquã objectum versetur actio necesse est, scil. vel aliquid eomittendo vel omittendo. Nec n. minus peccatur peccatis comissionis, quàm peccatis omissionis, & qui peccat, dicitur peccare, nõ tantũ ꝟsando circa aliqd, comittendo aliquid adversus idipsum, quã omittendo aliquod debitum. Quæ verò particularia exempla adducũtur, generalem propositionem non faciunt: largimur enim peccasse servum summi Sacerdotis alapam impingendo Christo *Ioh.* 18. *v.* 22. largimur peccasse Pilatum cædendo Christum *Matth.* 26. *v.* 26. largimur Judæos crucifigendo Christum peccasse 1. *Cor.* 2. 8. Sed negamus ex his peccatis commissionis particularibus rectè posse formari universalem: multò minus universalem à peccatis commissionis ad peccatum omissionis. Meminerit scriptum *Luc.* 7. *v.* 30. Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizari. Quid vult illud in semetipsos, quàm contraxisse reatum? Sed contraxerunt spernendo consilium, non baptizati. Et scriptum: qui vos spernit, me spernit *Luc.* 10. *v.* 16. Et qui spernit me, & non accipit ꝟba mea, habet qui judicet eum *Ioan.* 12. *v.* 48. Reatus ergò & judiciũ ut contrahatur,

non

non semper requiritur peccatum Commissionis, sed & omissionis.

10 Sed simus largi: Concedamus, versari indignos circa corpus Domini: sed non in genere quæritur, an quoquo modo versentur, sed quæritur de prædicato sive quæstionis sive conclusionis, quid proprie illud sit, quod agant circa corpus Christi, & quomodo versentur? Est enim propositio amphibologicè, ut dixi, concepta. mitt dem wesentlichen leib zuschaffen haben: nec enim in genere quæstio de eo aliquis dicam enim ego versari circa illud, non dijudicando: *argumentator dicet*, versari manducando. Tantum verò abest, ut ea propositio à nobis concedatur, ut petatur principio: sed nisi ponatur idem prædicatum in propositione, quod erat concludendum circa quæstionem, norunt Logici, modum argumentandi non esse legitimum. Assumptio denique etiam est falsa, vel ambigua: non enim manducatione & bibitione sacramentali peccant in se & de se indigni: Est enim ea piis cum impiis communis: ut propterea, si manducando & bibendo peccarent & reatum contraherent, reatus ille non minus piis atque impiis communis esse necessariò statueretur: sed non manducando & bibendo [illegible] modo,

modo, qui modus indebitus est aliquid præter manducationem & bibitionem. Sed modum illum indebitũ inferre ipsam corporis & sanguinis Christi manducationem & bibitionem, nondum satis probatum: nos superiùs modum demonstravimus reatus consistere non in eo, quòd manducetur & bibatur corpus & sanguis: sed quia profanatio symbolorum in manducatione & bibitione sacramentali importat profanationem rerum, & redundat in res ipsas.

Dices: Id quod offertur & exhibetur impiis in Eucharistia, ejus fiunt participes: at impiis etiam offertur & exhibetur corpus & sanguis Domini. Ergò participes fiunt corporis & sanguinis Domini. Hic negatur propositio: Concedimus omnibus indifferenter, ut in verbo gratiam Evangelii, ita in Sacramentis offerri gratiã invisibilem visibilibus signis signatam & obsignatam: nego verò conferri omnibus. Defectus verò est non à parte offerentis, sed à parte accipientis & communicantis: qui quia destituitur debito organo, fide nempe, quo mediante gratia ea percipiatur, ejus culpa fit, ut tantæ gratiæ sibi oblatæ participatione excidat. *Docuit id eleganter Calvinus Instit. lib. 4. cap. 14. sect. 16.* quum aliud, *inquit*, sit offerre, aliud recipere: nihil obstat, 11

ſtat, quo minus conſecratum verbo Domini ſymbolum ſit revera quod dicitur, vimque ſuam conſervet: nulla tamen inde utilitas ad hominem ſceleſtum ac indignum perveniat. *Sed hanc quæſtionem pauca verba bene ſolvit Auguſtinus*: ſi carnaliter, inquit, accipis, ſpirituale eſſe non deſinit: ſed tibi non eſt. Et *Ejusdem lib. 4. Inſt. cap. 17. ſub fin.* aliud eſt offerri, aliud recipi. Spiritualem hunc cibum omnibus porrigit Chriſtus, potumque ſpiritualem propinat: alii animo veſcuntur, alii faſtidioſè reſpuunt, animorum rejectio faciet, ut cibus & potus ſuam naturam perdant?

12 *Sed dices*: Eſſe hanc phraſin uſitatam in Eccleſia, quòd etiam indigni manducent ac bibant, corpus & ſanguinem Chriſti: quomodo Judas particeps factus corporis & ſanguinis Domini. *In quam ſententiam allegant Auguſt. tract. 62. in Ioh. ſerm. 11. de verbis Domini. c. 11. lib. 1. contra Creſc. Gramm. c.* 25. Indeque quidam concludit: es hab Auguſtinus vermöge der heiligen Schrifft gelehret/daß Judas der verräther Chriſti welcher in vnbußfertigkeit vnnd vngla das heilige Abendmahl empfangen/ zwar in der that vnd warheit/ aber zu ſeinem gericht vermittelſt brots vnd weins gegeſſen vnnd truncken habe. Sed nos quidem con-

mus,

mus, usum Augustinum phrasi seu modo loquendi eo: quòd mali etiam carnem Christi edant: sed quòd revera manducent, dictum ab Augustino negamus. Perpetua enim Augustini sententia est, quòd aliud sit corpus Christi Sacramentotenus, & aliud revera manducare. Ita expressè scribit *lib. 21. de civit. Dei cap. 25.* deniqúe ipse dicens, qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ostendit, quid sit non Sacramentotenus, sed revera corpus Christi manducare & ejus sanguinem bibere: hoc est enim in Christo manere, ut in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixerit, tanquam diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum aut bibere sanguinem meum. Et *Epist. 50*: non quærant Spiritum Sanctum, nisi in corpore Christi, cujus habent foris Sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cujus est illud Sacramentum, & ideò sibi judicium manducant & bibunt. Audis rem ipsam non tenere intus, non revera manducare. Longè ergò alia est sententia Augustini ab iis, qui dicunt, in der that vnd warheit. Et hinc docet *tract. 26. in Ioh.* quid manducent vel digni vel indigni: hoc est ergò, *inquit*, manducare illam

 escam,

escam, & illum bibere potum, in Christo manere & illum manentem in se habere. Aper hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat spiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, licet carnaliter visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est. Aug. hinc dicit, secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi esse, Sacramentum sanguinis Christi sanguinem Christi esse *Epist.* 23. Hac ergò sacramentali phrasi impii dicuntur manducare corpus Christi & bibere sanguinem ejus, non revera. *Hanc rem fusè & eleganter prosequutus est ex sententia antiquitatis & Patrum orthodoxus consensus cap.* 9. *quem videat qui plura desiderat.*

CAP

CAP. IX.

Tria argumenta ſolvuntur, de modo accipiendi corpus Chriſti.

MIſit aliquando ad me vir quidam exi- 1
mius per fratrem D. Ludovicum aulæ Caſſellanæ Medicum, de modo percipiendi corpus Chriſti tria argumenta: Quid eo tempore reſponderim, huc inſeram, facit enim plurimùm ad cognoſcendam manducationem corporis Chriſti. Solutio erat:

Trium propoſitorum argumentorum 2
ſolutio brevis hæc eſſe poterit:

1. *Ais:* Quale objectum, tale etiam eſt medium apprehendendi. Ambiguè dictum: Non dicam minus propriè vocari medium apprehendendi inſtrumentum ſeu facultatem, in quam tendit objectum: hoc enim nomen tribui ſolet communiter ſpeciebus, quæ ab objecto derivantur, ut ſint media & rationes cognoſcendi: quomodo ſpecies intelligibiles in intellectu dicuntur rationes ſeu media cognoſcendi. Id tantùm noto, quando dicitur: Quale objectum, tale medium apprehendendi, intel-

ligi Quale, non ejusdem naturæ & essentiæ, sed proportionis. Objectum enim & facultas non conveniunt essentiâ, sed analogiâ seu proportione, secundùm quam ita sibi respondent, ut hæc facultas possit judicium ferre, non de objecto alieno, sed de objecto sibi proprio & proportionato. Quomodo sensuum objecta sunt singularia, intellectus objectum etiam universalia: non quòd universalis ipse sit, (singularis namque est): sed quòd vim habeat sibi datam, cognoscendi non singularia tantùm, sed & universalia. Sensus ergò propositionis est: unumquodque objectum requirit facultatem sibi proportionatam.

3 Assumptio hæc est: objectum in sacrosancta Cœna, non tantùm est spirituale, nimirum ratione meritorum Christi; sed etiam corporale, intuitu corporis & sanguinis Christi. Objectum hîc dicitur corporale, quia corpus objectum: non secundum modum percipiendi, sed ratione termini seu objecti, quod percipitur. Minùs sanè commodè. 1. *Cor.* 10. *hom.* 22. *Chrysostom.* dicit: Quemadmodum tu corpus Dominicum manducas, ita & illi manna manducaverunt: & sicut tu sanguinem bibis, ita & illi aquam de petra biberunt. Quamvis enim

enim ſenſu quæ dabantur, perciperentur, ſpiritualiter tamen dabantur, non ſecundùm naturæ conſequentiam, ſed ſecundùm muneris gratiam, & cum corpore animam in fidem adducendo nutriebant. Hîc ſanctiſſimus Pater duo conſiderat in corpore: naturam, & donum. Priori ſenſu negat dari: ita enim Capernaiticum eſſet oris objectum. Poſteriori modo ſi corpus offeratur, jam non ſenſus eſt objectum, ſed intellectus, vel potiùs Fidei. Senſus enim exterior nihil percipit ſub ratione doni: donum namque relativum quid eſt, relativum verò ſub ſenſum nihil cadit. Alia ergò quærenda facultas eſt, quæ reſpondeat corpori per modum doni conſiderato. Adverſarii ipſi viderint, an in numero ſenſuum facultatem quandam ejus generis inveniant. Ea verò facultas fidei eſt, quæ in corpus fertur, non corporaliter, ſed ſpiritualiter: ſub ratione doni idipſum percipiendo & manducando. Quomodo Chriſtus *Ioh. 6.* corpus ſuum dat edendum: ſed nec adverſarii poſſunt hinc inferre manducationem vel corporalem, vel oralem: verùm concedunt eſſe eam ſpiritualem, fideique propriam. Non itaque ſequitur: Corpus objectum manducationis eſt; ergo vel oraliter vel corporaliter, ut manducetur

neceſſe eſt. Non hîc diſputo, quid excipere ſoleat adverſa pars, nempe non agi hoc loco de Sacramento: nobis enim nunc ſufficit demonſtrare inconſequentiam: Corpus editur, ergò corporaliter ſeu oraliter editur: hæc enim inconſequentia è dicto capite evidens ſatis eſt.

4 *Ratio altera eſt:* Ubi ſunt diverſa objecta, ibi etiam diverſa erunt media apprehendendi. Captiosè dictum. In objecto enim duo conſiderantur: materiale & formale. Priori modo, objecta diverſarum naturarũ adeandem facultatem referuntur, album & nigrum ad viſum, dulce & amarum ad guſtum: & res diverſorum etiam generum, ut homo & lapis. Sed diverſitas formalis diverſa conſtituit objecta, quæ ſub eandem jam facultatem venire non poſſunt. Ita quod eſt lucidum & colorarum conſtituit viſus objectum adæquatum: quæcunq; ſub hoc formali non comprehenduntur, ſub viſum cadere non poſſunt. Probatio futilis eſt: unum in diverſa objecta eodem modo operari non poteſt: ergò res diverſarum naturarum ſub eandem facultatem cadere non poſſunt. Verſatur certè eadem facultas circa diverſa, dummodò in uno quodam formali facultati proportionato conveniant: & de diverſis

formis

formis judicat diverſimodè ſecundùm vim & operationem ſibi competentem. Ut viſus & de albedine & de nigredine. Ita intellectus de diverſis agit diverſimodè. Quis verò dicat propterea excludi quicquam ab intellectus cognitione? *Pergis*: In ſacroſancta Cœna ſunt diverſa objecta, corporale & ſpirituale. At verò in genere promiſſionis & doni conveniunt: quò ſenſu ſub fidem cadunt communiter. Sed & hoc falſum, corpus in Cœna eſſe objectum corporale, propriè loquendo, h. e. oraliter & corporaliter percipi. Negamus nos: probent adverſarii eſſe conſequentiam hanc legitimam: Eſt corpus, ergò corporaliter percipitur. Inſtantia inconſequentiæ firma eſt, è *cap. 6. Iohannis*, ubi Chriſtus exhibet corpus: nec tamen corporalem & oralem manducationem docere evidens eſt. Confunditur ergò materiale objecti, quod corpus eſt, cum formali objecti, de quo nunc quæritur, an corporaliter & oraliter, an verò ſpiritualiter fide percipiatur.

Ad tertium dicimus, poſſe aliquid accipi duobus modis: vel immediatè & in ſeipſo, vel mediatè & in alio. Quo poſteriori modo adimus hæreditatem, non ipſam ſubſtantiam in ſeipſa apprehendendo, ſed mediantibus literis & ſigillis. Ita in Euchariſtia

corpus & sanguinem crucifixum & effusum non accipimus immediatè: ita enim Christus non ampliùs crucifigitur, & sanguis non ampliùs seipso & in propria substantia effunditur: sed in Sacramento. Sic scriptura dicit: hoc facite in mei commemorationem: & ita sacramentum accipiendo, celebramus memoriam corporis crucifixi, & sanguinis effusi. Fides verò jam mediante Sacramento sibi hæc objecta applicat, apprehendédo corpus & sanguinem tanquam suum, h.e. ac si ipse in mortem traditus esset, & ipse sanguiné suum obtulisset, quæ Christus nostro loco in mortem tradidit. Et hinc quia corpus nostrum est, & sanguis noster est, omnia sequuntur beneficia, morte hâc parta & acquisita nobis, remissio peccatorum, justificatio, sanctificatio, vita æterna &c. Nam fieri nequit, ut beneficia accipiamus sine corpore, & sine sanguine: beneficia enim nostra sunt, quia corpus pro nobis traditum, & sanguis pro nobis effusus est. Atq; hinc fides non potest fieri particeps beneficiorum, nisi priùs fiat particeps corporis & sanguinis ipsius. *Atq; hæc de his tribus*

CAP.

CAP. X.

Quod complectitur Disputationem Notionalem, quo genere tropi rectiùs explicentur verba Institutionis.

HActenus controversiam utramq; principalem, de iis, quæ potissimum in hâc controversia de Eucharistia agitari solent, tractavimus: in quibus summo consensu omnes Theologi nostræ Confessionis conveniunt, de quo Harmonia Confessionum evidēs testimonium nobis exhibet. Sequitur nunc cōtroversia Notionalis, quâ docetur, quum omninò in verbis Cœnæ & Institutionis Dominicæ τὸ ῥητὸν locum non habeat, ad quodnam genus vel improprietatis, vel tropicæ aut figuratæ locutionis reduci ac revocari possint verba ea. 1

Hîc verò de victoriâ clamitant adversarii, ac pollicentur sibi triumphum, ob dissensionem eam, quæ sit inter Theologos nostros in assignando tropo, ac 2

judicant esse falsitatis argumentum, quòd eâdem Notione vel Logicâ vel Rhetoricâ non insigniant suam doctrinam. Sed deceant prius necesse est, esse de re ipsa, & in controversiis principalibus dissensionem: ita enim quia veritas non nisi una est, non nisi una sententia vera esse poterit: voces verò & notiones diversæ eidem rei impositæ, non sunt illicò argumentum falsitatis. Quod si ergò dissensionem nobis objecerint, respondebimus, esse eam discrepantiam non realem, quam nunquam ostendere potuerunt hactenus: sed tantùm notionalem, hoc est, Logicam, vel Rhetoricam, ut aliis atque aliis vocibus & notionibus rem eandem expresserint.

3 Ea verò notionum imponendarum diversitas è duplici causa nascitur: prior est, quòd Rhetores non eodem modo definiverint tropos, & modos assignaverint tropi alicujus alii, quos ad aliud genus tropi reducant alii. Hinc enim necessariò alio atque alio tropi genere in propositione explicanda aliqua utuntur alii atque alii. *In superiùs cap. 6. monuimus*: Chemnitium synecdochen appellare, quum ponitur continens pro contento in exemplo: poculis quando sævæ infecere novercæ. Et ita *Drusserus elocutionis Rhet. lib. 1. pag. 18. §. de synecdoch.*

synec-

synecdochen dicit esse tropum, in quo vel totum pro parte, vel pars pro toto, vel continens pro contento ponitur, vel quocunq; modo aliud ex alio intelligitur. Et quando *pag.* 22. & 23. recenset modum tertium: Est etiam *inquit* synecdoche, cum materia pro re confecta ex materia ponitur, ut ferro accinctus, id est, gladio. Adducit etiam *exemplum Ecclog.* 1. Meditaris Musam sylvestrem, id est, rusticum carmen tenui avena, id est fistula, per synecdochen, vel stilo bucolico, per metaphoram. recenset verò modum synecdoches quartum: cum continens pro contento ponitur. Propinare alicui calicem, vel cantharum, pro eo, quod est propinare vinum, seu potum qui est in vasculo, sive cantharo. Bibite ex hoc omnes: Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine, id est, hoc calice, vel hoc poculo præbetur vobis vinum & sanguis meus. Ad hunc modum refert illud: jam proximus ardet Ucalegon *Aen.* 2. id est, domus proxima Ucalegontis. Ita Dresserus suam exposuit synecdochen: & consentit cum eo Chemnitius poculum dici per synecdochen, quando ponitur ut continens pro contento.

At aliter aliquantò Talæus rem eam exposuit & cum eo *Giessenses in Rhetoricis.* 4

Nam

Nam 1. Metonymiam materiæ eſſe dicunt cum materia ponitur pro materiato, ſeu è materia confecta, ut: ferrum pro gladio. At hic tertius modus erat ſynecdoches apud Dreſſerum. Et quando Metonymia ſubjecti exponitur, ſubjungit à Talæo: ex hoc genere etiam eſt illud cum ex poſſeſſore res poſſeſſa intelligitur. pro exemplo ponitur *illud Aeneid.* 2. jam proximus ardet Ucalegon, id eſt, Ucalegontis domus: idque exemplum numeratur à Gieſſenſibus in ſecundo modo Metonymico ſubjecti. At verò hoc exemplum numerabatur à Dreſſero inter ea, quibus declarabat quartum modum ſynecdoches. 3. Et quando Metonymiam ſubjecti in genere definivit Talæus ſubjungit: ut cum ponitur continens pro contenta. Isq; à Gieſſenſibus ponitur primus modus metonymiæ ſubjecti, cum continens ponitur pro re contenta: ut; fœcundi calices, quem non fecere diſertum. Calices id eſt, vinum in calicibus. At hic erat quartus modus Dreſſeri. Et hinc Gieſſenſes hos diverſos modos conciliant in Commentario ad hunc locum, ſententiam eorũ qui ſynecdoches nomine explicant hunc modũ metonymiæ ſubjecti. Nihil, *inquam*, hîc obſtat, quòd alii modum hunc ad ſynecdoches

dochen referunt, ex eo, quia ſynecdoche commutet inter ſe vocabulum totius & partium. Totum verò ſit, quod contineat partes: & pars ſit, quæ contineatur à toto. Fallacia namq; homonymiæ in vocabulis continentis & contenti, quæ aliter hîc, aliter in loco diſtributionis accipiuntur. *Diverſitatem explicat Snellius in Caſtigat. Rhetor. Reliqua vide eo loco.* 4. Et Dreſſerus ipſe jam per ſynecdochen, jam per Metaphoram explicat illud, tenui avena, ut viſum ſuperius, pro diverſo reſpectu. Manifeſtum itaq; hinc, non eſſe diſſenſionem realem, ſi diverſis troporum notionibus res eadem inſigniatur, propterea quòd non eodem modo vel definiverint, vel in uſu adhibuerint diverſi authores notiones eas tropicas.

Et ne id nunc primum à me dici exiſtimare quisquam poſſit, audiant *Quintilianum de Inſtitut. orat. lib.* 8. §. *de tropis ita ſcribentem:* Tropus eſt verbi vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio. Circa quem inexplicabilis & grammaticis inter ipſos & Philoſophis pugna eſt, quæ ſint genera, quæ ſpecies, qui numerus, quis cuique ſubjiciatur. Nos omiſſis, quæ nihil ad inſtituendum oratorem pertinent cavil-

cavillationibus, necessarios maximè atq
in usum receptos exequemur. Hæc mo
in his annotasse contenti, quosdam gra
significationis, quosdam decoris assumi,
esse alios in verbis propriis, alios in trans
tis, vertíque formas non verborum mod
sed etiam sensuum & compositiones. Qu
re mihi videntur errasse, qui non alios cr
diderunt tropos, quàm in quibus verbu
pro verbo poneretur.

6 Quibus tria indicat Quintilianus: 1
Esse pugnam inexplicabilem inter gram
ticos & philosophos de generibus, specie
bus, modo troporum, & quis cuique subj
cietur. Quâ authoritate ergo nostros in ali
atq; aliis scholis educatos astringent, ut no
nisi eodem modo loquantur omnes, & a
ipsorum nutum sermones componant, a
nisi idem tropi genus assignent omnes, i
cò reale dissidium in ipsam principale
controversiam inferri disputent? 2. Ne
esse satis certum, tropum esse non nisi in u
na voce. Quintiliano enim tanto orato
videntur errasse, qui non alios credider
tropos, quàm in quibus verbum pro verb
poneretur. 3. Quod sint tropi in verb
modò propriis, modò translatis, vertíq
formas non verborum tantum, sed etia
sensuum & compositiones. Hinc enim-

demu

demur rectè colligere, fieri posse, ut singulæ voces sint propriæ, ratione attributionis tamen, & modi prædicandi nascatur ratione compositionis aliqua improprietas, quæ figuratam seu tropicam aliquam locutionem efficiat. Addo his quarto loco, quòd aliquoties notat Quintilianus, quòd metonymiæ sit quædam cum synecdoche vicinia, & à synecdoche non procul descendat metonymia. Ob hanc enim viciniam & cognationem facilè potest fieri, ut quod synecdochen apellant alii, metonymiam alii nominent. Quomodo videbimus inferiùs, è *Vireto* insigni apud nostros Theologo, quam rationem monstraverit, conciliandorum inter se eorum, qui synecdochen, & qui metonymiam accersendam existimant ad expositionem verborum Christi *in lib. 9. de minist. verbi Dei & Sacramentorum.* Manifesta ex his est prior causa, quam dicebamus, nasci scilicet, notionũ imponendarum diversitatem, ex eo, quòd Rhetores non eodem modo definiverint tropos, & modos assignaverint tropi alicujus alii, quos ad aliud genus tropi reducant alii.

Posterior causa, diversarum notionum vocibus in eadem propositione imponendarum, nascitur è præcisione notionum 7

secun-

ſecundarum. Notiones enim ſecundæ ſignificant præcisè & formaliter, ac propterea reſpectu ejus præcisè ſignificandi modi, ut non niſi eum conceptum referant & repræſentent, quem earum infert ratio & definitio. Poſſunt verò eſſe in eâdem propoſitione voces & reſpectus diverſi, propterquorũ diverſitate variat ſimul diverſitas concept⁹, adeoq; notio alia atq; alia pro diverſitate ea, vel eidem, vel diverſis vocibus in eâdem propoſitione poteſt imponi. In Logicis certè id tam clarum & manifeſtum eſt, ut negari non poſſit, vocem eandem per omnia ferè argumenta inventionis, & terminos tam propoſitionum, quàm ſyllogiſmi poſſe deduci, dummodò ordinem habeat & reſpectum ad alios atque alios terminos, ſed id ut arbitror dubium non eſt. aſſumit enim vox unaquæque notionem aliam atque aliam, prout induit reſpectum alium atque alium: diverſitas enim ordinis & reſpectus importat ſimul notionum diverſitatem. Idem verò locum habet in notionibus Rhetoricis ſive tropicis ſive figuratis. Ita poteſt vox eadem relata in eâdem propoſitione ad diverſa habere ſignificationem jam propriam, jam figuratam & tropicam. Citavi *ſuperiùs locum* 2. Cor. 3. *v.* 3. Epiſtola ſcripta non atramento, ſed ſpiri-

Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, Et *Ioel* 2,13. scindite corda vestra & non vestimenta vestra. Scribi certè atramẽto dicitur, & Spiritu Dei vivi: eâdẽ quidem voce, sed sensu longè diverso, proprio illo, sed translato hoc. Idem judicium esto de exemplo altero: scindi dicuntur & vestes & corda: verbo & voce quidem eadem, sed sensu proprio, si spectentur vestes; metaphorico, si ad corda referatur. Utor his exemplis libentiùs, quia nostro instituto satis probè conveniunt. Urgent enim, qui oralem defendunt manducationem: proponi certè in verbis institutionis manducationem & bibitionem oralem: Edi ergò & bibi corpus & sanguinem Domini oraliter. Sed nego consequentiam. Concedimus enim libenter manducationem & bibitioem oralem, si symbola & Elementa externa spectes, quibus quoad sensum etiám oralis manducatio convenit. Verùm inde non sequitur, esse manducationem & bibitionem ejusdem rationis, si ad objectum diversi generis, qualia sunt corpus & sanguis Domini, referantur. Hîc enim utimur communi illâ Logicorum regulâ: Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis. Quamdiu ergò pars adversa non probave-

rit, expressè doceri verbis institutionis corporis & sanguinis ipsius manducationē, sed in genere tantum docuerit, esse aliquam in Cœna manducationem & bibitionem: tamdiu nos respondemus, oralem dici respectu symbolorum, esse verò non oralem si corpus & sanguinem spectes: sed talem, quæ respondeat proportione quâdam suo objecto, quam non nisi vel spiritualem, vel sacramentalem saltem, agnoscimus: oralem verò nunquam. Nec enim adversatur voci eidem, dici vel propriè, vel impropriè & figuratè seu tropicè, quando ad diversa vel subjecta vel objecta refertur.

8 2. Potest etiam tropus poni alius atque alius in eadem propositione respectu diverso. Ita in exemplo superiori: scripta spiritu Dei vivi: si scripturæ vocem spectes, metaphora est, sin modum scribendi, quo designet ipsam mentis illuminationem, qua fides in nobis gignitur, & donum notitiæ ac scientiæ rerum divinarum, jam metonymia est: ponitur enim causa efficiens scriptura, & denotatur effectus, mentis scilicet illuminatio: Ita enim explicat illud *August. contra Faustum Manichæum lib. 18. cap. 4.* è collatione loci *Ezech. 11.* auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum: *id est*, non cor sine sensu, sed cor

cum

cum sensu. Unde traxit Apostolus, cum ait, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quid enim aliud dixit, quàm cor carneum. *Vide eundem August. de gratia & libero arbitrio cap.* 14. Et hinc factum, ut sæpè Augustinus in genere tropum notaverit, non faciendo mentionem, cujus vel generis, vel modi tropus ille sit. Ita *contra Adimantum cap.* 12: Ex eo quod scriptum est (*Deut.* 12.) sanguinem pecoris animam ejus esse, possum etiam interpretari, præceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus dubitavit dicere, Hoc est corpus meum: cum signum daret corporis sui. Et *contra adversarium legis & Prophetarum, lib.* 2. *cap.* 6. sic dictum est (*Levit.* 17.) Anima omnis carnis sanguis est: quomodo dictum est: petra erat Christus: Non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Itaque eodem modo loquendi dictum putat in signo: Anima carnis sanguis est, petra erat Christus: Hoc est corpus meum: Non tamen nominat tropum specialiter, sed in genere in signo positum esse. Rationem reddit *in fine lib.* 3. *de doctr. Christ. cap.* 37. difficultatem designandorum troporum in specie: Hæ, *inquit*, omnes regulæ, exceptâ unâ, quæ vocatur de promissis & lege, aliud ex alio faciunt intelligi,

quod eſt proprium tropicæ locutionis, quæ latius patet, quàm ut poſſit, ut mihi videtur, ab aliquo univerſa comprehendi. Nam ubicunq; velut aliud dicitur, ut aliud intelligatur, etſi nomen ipſius tropi in loquendi arte non invenitur, tropica locutio eſt. Quæ cum fit, ubi fieri ſolet, ſine labore ſequitur intellectus: cum verò ubi non ſolet, laboratur ut intelligatur ab aliis magis, ab aliis minus, ſicut magis minusve dona Dei ſunt, in ingeniis hominum, vel adjutoria tribuuntur. *Vide eundem de tropis ſacræ ſcripturæ intelligendis in lib. contra Mendacium ad Conſentium cap.* 10.

9 Nos verò hinc deducimus ſequentia: 1. Ob troporum præciſionem ſeu præciſum ſignificandi modum, difficile ſæpè eſſe proprium tropi genus aſſignare: & ſufficere ſæpè dicere in genere, eſſe locutionem tropicam. 2. De tropo ſtatuendum ratione ſubjectæ materiæ: ita enim intelligitur, quod dicit Auguſtinus, quòd quum ſit tropica locutio, ubi fieri ſolet, ſine labore ſequitur intellectus. Itaque quum de Sacramentis agitur, illud tropi genus non incommodè aſſignabitur, quod eſt in Sacramentis uſitatum, quale Auguſtinus perpetuò innuit, dici ut in ſigno

3. In tropis declarandis & explicandis esse alios feliciores aliis, pro ingeniorum & donorum diversitate. Ut propterea non sit illicò rejicienda sententia alterius, si rem totam non explicet, perinde atque forsan alius. In ejusmodi enim notionibus imponendis hic forsan aliud spectat, alius verò respicit aliud: ob quam respectuum diversitatem fit, ut aliter atque aliter de tropis loquantur diversi. Sed id nunc in specie animadvertamus, quomodo diversimodè alii atque alii tropos adhibuerint in illustranda doctrina verborum, institutionis Dominicæ.

CAP. XI.

In quo inſtituitur Conſideratio diverſorum modorum loquendi in verbis Inſtitutionis.

1 ESſe opus tropo quodam in verbis Inſtitutionis docet *Brentius in Exegeſi in cap. 6. Iohannis*, & hunc ipſum tropum nominat, ſynecdochen. Verba ejus ſunt: omninò tamen tropo quodam opus erit, quando reipsâ videamus, panem non mutari in corpus, nec vinum in ſanguinem. Quis igitur eſt iſte tropus? Cave ne admittas Carloſtadiani ſpiritus tropum, is enim privabit fidem ſuis bonis, quanquam nihil minus videri velit, ſed exitus probabit acta. Quem autem admittam? Eum admittas, qui eſt in ſcriptura, & in communi hominum conſuetudine familiariſſimus, nempe ſynecdochen, quæ eſt figura, quando aut ſub parte totum, aut ſub toto pars intelligitur. Similiter quando totum datur, & pars præcipua ſolum nominatur. Ut ſi quis tibi cunas,

cunas, & puerum in cunis jacentem exhibeat, pro communi conſuetudine dicere ſolet: En accipe puerum, & aliò ſepone. Ita in Cœna Dominica duo nobis offeruntur: panis & corpus, ſolum tamen corpus nominatur, quod eſt in hâc diſtributione præcipuum. Ad hanc igitur figuram exige Chriſti verbum: Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Panis enim jam corpus eſſe dicitur, non quia ſolum ſignificat, ſic enim abeſſet corpus, ſed quia inſtrumentum & medium factum eſt, quo verè & præſenter fidei noſtræ corpus donatur ac diſtribuitur. *Ita Brentius.* Agnoſcit ergò non tantùm Brentius aliquem tropum in verbis inſtitutionis: ſed & opus eſſe tropo docet: ut jam genus ſaltem habeamus, non eſſe intelligenda verba inſtitutionis κατὰ τὸ ῥητὸν, ſed eſſe tropo aliquo affecta.

Dices, eſſe quidem ſynecdochen, ſed non Rhetoricam eam, ſed Grammaticam: Ita namque & Lutherum agnoſcere ſynecdochen, ſed Grammaticam. *Ita namq; ſcribit* **im bekäntnus vom Abendmahl Chriſti** *anno* 28: **Solche weiſe zureden von vnterſchiedlichen weſen/als von einerley/heiſſen die** Grammatici ſynecdochen **vnnd iſt faſt gemein/nicht allein in der ſchrifft/ ſondern auch** 2

in allen ſprachen / als wenn ich einen ſack oder beutel zeige oder darreiche / ſpreche ich / da findt hundert gulden. Da gehet das zeigen vnd das wörtlein (das) auff den beutel / aber weil der beutel vnd gülden etlicher maßen ein weſen ſind / als ein klumpe / ſo trifft es zugleich auch die gülden. Der weiſe nach / greiff ich ein faß an / vnd ſpreche / das iſt Reiniſch wein / das iſt welſch wein / das iſt roter wein. Item ich greiff ein glas an vnd ſpreche / das iſt waſſer / das iſt bier / das iſt ſalbe ꝛc. In allen dieſen reden ſieheſtu / wie das wortlein (das) zeiget auff das gefeſſe / vnd doch weil das getrencke vnnd gefäße etlicher maſſen ein ding iſt / ſo trifft es zugleich / ja wohl fürnemblich / das getrancke.

3 Sed an ſynecdoche ea, cujus mentionem facit Brentius, ſit alia à Rhetorica, nondum video: utitur certè uſitatâ Rhetorum definitione, quâ ſynecdochen ſuam definivit *Talæus Rhet. lib. 1. cap. 9.* eſſe eam, cum ex parte totum, aut contra ſignificatur: quamque approbant *Gieſſenſes Rhet. lib. 1. cap. 10*: à quâ longè alia eſt ea ſynecdoches Grammaticæ definitio, quâ utuntur *Gieſſenſes Gram. lib. 2. cap. 10.* huc pertinet, *dicunt*, ſynecdoche grammatica, quando adjectiva & verba paſſiva vel abſoluta, græcâ conſuetudine accu-

accuſativos ſubſtantivorum adſciſcunt, qui partem aliquam aut proprietatem totius ſignificant, ut: velatus faciem, id eſt, ſecundum faciem. In quem modum etiam *Valla eleganter lib.* 3. *cap.* 17. ſynecdochen eſſe dicit, doleo caput, doleo ilia aut ilibus. At verò ab his exemplis longè alia ſunt, & diverſa exempla ea, quæ tùm à Brentio, tùm à Lutherо introducuntur. Hinc quando Grammaticis aſſignat ſuam ſynecdochen Lutherus, eodem ſenſu dixit, quo ſuperius Quintilianus, qui dicebat Grammaticis inter ipſos & philoſophos eſſe pugnam de tropis, ita ut accuratè & exactè non diſtinguat ſynecdochen Grammaticam à Rhetorica. Similiter enim ſuam explicat exemplis, atque ſuam Brentius. Et ita *Petrus Viretus lib.* 9. *de miniſt. verbi Dei & ſacram. cap.* 16. pro eadem habet ſynecdochen Grammaticam & Rhetoricam: verumenimverò, *inquit*, nullum hujuſmodi expoſitionum genus, hîc commodum habere locum poteſt, quin figuram aliquam admittere cogantur, præſertim verò quam Grammatici & Rhetores Græcè Synecdochen, latinè comprehenſionem, ſive intellectionem vocant

vocant. Hujus uſum eſſe quum ex alio alius intelligitur (ut ex parte totum aut ex toto pars, aut ex forma genus, aut ex genere forma, aut ex uno plures, aut ex ſigno res ſignata, aut ex materie opus ex ea confectum, & ejuſmodi alia.) pueris etiam notum eſt. Hujus frequens eſt uſus in divinis literis, inprimis autem iis in rebus, quæ ſunt ita ex diverſis naturis conflatæ & conjunctæ, ut inter ſe non confundantur tamen. Hîc Viretus eandē ſynecdochē, cujus mentionem fecit Lutherus, quamq; in Rhetoricis deſcripſit Dreſſerus, eandemeſſe docet, ſive Gramatica, ſive Rhetorica appelletur. Manifeſtum hinc eſt, eſſe tropum eum, quē agnoſcit Lutherus & Brentius communem quidem & uſitatum, eum tamen, qui à τῷ ῥητῷ recedat: & unde Brentius ſuum tropū opponit Τῷ ῥητῷ pontificiorum, qui & ipſi urgent verborum proprietatem, ab omni figura & tropo ſejunctam, ut videre eſt apud *Bellarm. de Euchar. lib. 3. c. 9.* Fieri nequit, ut ejuſmodi tropus τῷ ῥητῷ oppoſitus, ſimul & ipſe τὸ ῥητὸν obtineat.

4 Hinc è noſtris etiam Theologis quidam agnoſcunt ſynecdochen. Ita *Buceri* in *axiomatibus apologeticis quibus reſpondet Nic. Ambsdorffio n. 13. & 14.*: modò *inquit*, addere liceat interpretationem Lutheri, hoc ſenſu

ſenſiles actiones, cum pane & vino propriè fiunt, corpori & ſanguini, quæ nimirum noſtris ſenſibus minime obnoxia ſunt, tribui propter ſacramentalem unionem, juxta ſynecdoches illas: Johannes vidit Spiritum ſanctum. Moſes vidit audivitque Deum facie ad faciem. Nec adverſatur aut repugnat admodum. *Petrus Viretus dicto ſuperiùs loco cap.* 17. *&* 18. huic ſententiæ: quin ii ò ſynecdochen eam amicè cum metonymia conciliat, ut videbitur inferius. Et ita *Gualtherus in præfatione Homiliarum in Matthæum*: Ideò autem *inquit* hæc dico, ut oſtendam vos, ut ut clametis verba Chriſti clara, ſimplicia & perſpicua eſſe, effugere non poſſe tropum omnem, quin Metonymiam aut Synecdochen admittere cogamini. Quo argumento docet, non eſſe ſynecdochen noſtræ doctrinæ adverſam & contrariam.

Alios tropos & nominant & numerant Theologi. Ita namq; placet aliis Theologis metonymiam nominare tropum, quo explicatur doctrina Euchariſtica. Ita *Danæus reſpon. ad Laonicam Spongiam ad partem ſecundam*: Chriſtum ipſum, *inquit*, etiam quatenus homo eſt, affirmamus piis in ſua cœna verè quidem, ſed non corporalis præſentiæ modo adeſſe: panem autem illum & vinum illud

illud eſſe vera ſigna & ſigilla illius eſſentialis carnis & ſanguinis Chriſti, propterea quæ metonymicè carnem & ſanguinem Chriſti vocari, non autem eſſe ipſummet eſſentiale Chriſti corpus & ſanguinem. *P. Ramus vero de religione Chriſtiana lib. 4. cap. 14.* plures etiam tropos in Euchariſtias Sacramento proponit. Sunt, *inquit*, præter hos tropos corporis & ſanguinis, alii tropi, etiam in ipſo cœnæ myſterio. Nam de corpore, quòd Lucas ait, Quod pro vobis traditur, Paulus dixit, quod pro vobis frangitur. Hîc igitur frangitur, tropicè intelligi neceſſe eſt. Nam Chriſti corpus neq; frangi debuiſſe, neq; fractum eſſe Johannes docet, agni paſchalis exemplo. Item de poculo Lucas: Hoc poculum eſt novum Teſtamentum in ſanguine meo. Hîc poculum metonymia eſt continentis vaſis pro contento vino. Item novum Teſtamentum, pro ſignum novi Teſtamenti, eſt metaphora. Tum in meo ſanguine, pro morte ſanguinolenta cruentaque, metonymia rurſus eſt. Quapropter, *inquit*, videmus totum cœnæ myſterium tropis refertum eſſe. Et hinc verum eſſe patet, q; dicebatur ſuperius, poſſe diverſos tropos aſſignari in eadem propoſitione pro reſpectuum diverſitate. Ita *Johannes Pincier ſcriptorum Euchariſticorum tra-*

lib. 1.

lib. 2. cap. 11. perturbat, *inquit*, hoc multos vehemèter, quòd figuratores & tropiſtæ Chriſti verba figuratè ac tropicè intelligentes & interpretantes, non unum idemque figuræ ſeu tropi genus teneant & ſequantur. Alii enim metaphoram, alii metonymiam, alii ſynecdochen, alii deniq; allœoſin ponunt.

Keckermannus, & qui eum ſequuntur, impropriam nominant propoſitionem: Improprietate eâ, quæ non ſit tropo aliquo ſpeciali modificata & affecta, ſed improprietate totius propoſitionis: in qua ſingula verba ſint & maneant propria, improprietas verò modum attributionis ſeu prædicationis ſequatur.

Piſcatorus etiam fuit ſententia ea ſpecialis, quòd in vocabulo Eſt tropum judicavit eſſe ponendum: ita ut quia non tam exiſtentiam deſignet, quàm per SIGNIFICAT ſit explicandum, tropo aliquo modificatum eſſe intelligat. Recitat etiam varias noſtrorum opiniones *Bellarminus de Euchariſtia lib.* 1. *cap.* 8. Hîc jam diſpiciendum erit nobis, quid in ea varietate ſit ſequendum, & probandum, quidq; improbandum & rejiciendum: & quâ tandem ratione Conciliatio ſit in hoc quidem vario loquendi genere inſtituenda.

CAP.

CAP. XII.

In quo Conciliatio diverſarum opinionum, juxta troporum diverſitatem inſtituitur.

1 IN hâc re ut exponam ſententiam meam, attendendum ante omnia eſſe cenſeo: 1. quæ propoſitiones veniant in conſiderationem, ſunt enim non unius generis. *Prima eſt:* Edere & bibere panem & poculum Domini. *Secunda eſt:* Edere & bibere corpus & ſanguinem Domini. *Tertia eſt:* Panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſanguis Chriſti. & *Quarta:* Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. 2. Sunt etiam conſiderandi fines diverſi, iiſque ſubordinati, qui occurrunt in Euchariſtia, *de quibus infrius.*

2 *De prima propoſitione* certum eſt, quod propoſitio ea ſit propria, propriis verbis concepta, quando jubemur accipere edere & bibere panem & vinum. Atque hinc fit, ut libenter concedamus eſſe oralem & phyſi-

phyſicam manducationem & bibitionem eam, quæ in externis ſymbolis & Elementis conſiſtit. Et ita *Beza in Colloquio Mompelgard.* libenter concedebat: rem terrenam, id eſt, panem & vinum, terrenis inſtrumentis, manu ſcil. & ore percipi, & ſimiliter ritus ſacramentales, corporis itidem inſtrumentis peragi.

De ſecunda verò aſſerimus hanc: Edere & bibere corpus & ſanguinem Domini, non eſſe propriam, ſed Tropicam. Tropum verò nos hic agnoſcimus Metaphoram, alii Metonymiam. Hic verò jam controverſia eſt. Beza ita dicit: Terrena ſignorum terrenorum ſumptio, pignus eſt alterius, nempe ſpiritualis illius: ac proinde voces comedendi & bibendi ſicut propriè de ſignorum ſumptione, ſic figuratè de rebus ſignificatis dicuntur ſacramentali Metonymia: quâ quod ſignis competit rei ſignificatæ attribuitur. Contra *Iacobus Andreæ in obſervationibus marginalibus*: Nequaquam, *inquit*, figurata manducatio corporis Chriſti in Cœna Domini eſt: ſed vera & realis, quæ in myſterio fit: ideò Metonymia hic locum non habet. 3

Nobis placet Bezæ ſententia, eſſe locutionem figuratam ſeu tropicam: falſa verò Jacobi Andreæ opinio eſt: eſſe nequaquam figuratam manducationē corporis Chriſti 4

in Cœna. Certè non eſſe ejusdem rationis manducationem eam, quæ ad panem refertur, cum ea, quæ refertur ad corpus Domini, fatentur Lutherani ipſi. Ita enim ſuperiùs dicebamus è *Chemnitio cap. 5. libri, qui inſcribitur, fundamenta ſanæ doctrinæ*, eſſe triplicem manducationem: 1. panis, quæ ſit phyſica, 2. corporis Chriſti, quæ ſit oralis, ſed ſacramentalis, & 3. ſpiritualis. Et hodiè communiter utuntur ſpeciali loquendi modo, quo exprimunt modum hujus manducationis, ut appellent eum, mund Sacramentlich, eumque ratione non poſſe comprehendi ajunt. Ob nun ſchon *inquit quidam eorum*, das mund. Sacramentliche eſſen vnd trincken / deß leibs vnnd bluts Chriſti vnſer vernunfft nit einleuchtet / ſondern jhr ſeltzam / ja vngereimbt fürkompt / ſie auch nicht faſſen kan / wie es eben zugehe. Dannenhero müſſen wir alle vernunfft vnter den gehorſam Chriſti gefangē nehmen ꝛc. Indeque *Iacobus Andreæ* dicebat *in marginalibus*: eſſe veram & realem, quæ in myſterio fiat. Utramque ſumptionem ore fieri poſſe, quamvis diverſa earum ſit ratio. Corporis Chriſti eſſe manducationem myſticam, in phyſica manducatione ſacri panis in Sacramento eſſe cœleſtem & ſupernaturalem, adeoque modum plane ſpi-

ſpiritualem. Et, ſicut Eccleſia cum Chriſto myſticum corpus eſt, ita etiam hanc perceptionem in myſterio fieri. Tandemque concludit: Hæc ſpiritualis conjunctio per organa fit corporalis & externa: quâ res ſpirituales cum rebus externis conjunguntur. Ita illi nobis deſcribunt ſuam oralem ſacramentalem manducationem, ut teſtentur eſſe longè aliam & diverſam ab ea, quâ ſymbola externa manducantur & percipiuntur.

Quæro 1. unde id ſciant? E verbis inſtitutionis, reſpondebunt. Ergonè è verbis manducandi & bibendi abſolutè & nudè cõſideratis, an verò ob diverſitatem reſpectus eam, quam habent in ordine ad diverſa objecta, pro quorum diverſitate induant aliam atque aliam ſignificationem. Certè è nudis verbis id petere nequeunt: eadem n. verba nude & ſeipſis conſiderata eandem ſignificationem tuentur propriam, niſi ſint æquivoca ſeu ambigua ἀπὸ τύχης ſeu caſu. Ergò è diverſitate ordinis ad objecta diverſa. Sed unde illi jam oralem ſacramentalem potiùs derivabunt, quàm nos ſpiritualem? Hanc certè ratio objecti potiùs patitur, quàm illam novam, inauditam in ſcriptura, & Eccleſia. Certè noſtram ſpiritualem eſſe ſcripturæ conſentaneam

nemo negaverit: illa verò probatione opus habet longè evidentiori, quàm ut è verbis ipſis etiam fatentibus, ambiguitatem habentibus, erui poſſit. Ambigua certè verba ſunt, ſi oralem ſimul phyſicam, & oralem ſacramentalem manducationem ſignificant.

6 *Quæro* 2. unde doceant, oralem-ſacramentalem eam manducationem dici absq; omni tropo & figura. *Dices*: quia vera & realis. Ita enim Jacobus Andreæ: nequaquam, *inquit*, figurata manducatio corporis Chriſti in Cœna Domini eſt; ſed vera, & realis, quæ in myſterio fit: ideò Metonymia hîc locum non habet. Non ergò figurata, quia vera & realis? Adeoque figuratum & tropicum verum & reale nihil: idemque jam erit fictum & figuratum, ut conjunxit ea duo *Chemnitius*, qui de ſacramentali ea manducatione ita ſcribit *ſuperiùs capite*: phyſica ſcilicet non eſt, quæ conſtet commolitione, maſticatione, deglutitione & concoctione ejus ſubſtantiæ, quæ manducatur, quia præſentia corporis Chriſti in Cœna non eſt naturalis, conſtans aliquo modo hujus ſeculi, quæ tamen non ideò figurata vel ficta, ſed vera & ſubſtantialis eſt, licet fiat per myſterium ſupernaturale, cœleſte & imperſcrutabile. Ergo

&pi-

& ſpiritualis ficta erit, non vera & realis, quia figuratâ locutione eâ deſignatur & exprimitur? Adeoque magis erit vera & realis manducatio impiorum, qui ipſorum judicio oralem-ſacramentalem manducationem obtinent, quàm piorum, quibus ſpiritualis convenit: vel ſaltem æqualiter vera & realis: ficta enim erit non vera & realis, ſpiritualis hæc, figurata namque: quæ propterea non poterit conferre plus aliquid de veritate & realitate, atq; obtinuerunt jam ante per oralem-ſacramentalem. Hoc ſcilicet πρῶτον illud ψεῦδον eſt, quòd figuratum, ut quoad vocem, ita etiam ſenſu ipſo & ſignificatione figuratum eſſe ſtatuunt. At verò diſcant immutare modum ſignificandi vocis tropum: rem verò ſignificatam nunquam eſſe tropicam, vel figuratam, ſed veram & realem: tametſi quadantenus diverſam ab ea ſignificatione, quæ vocis proprietate innuitur: realitas enim & veritas rei ſignificatæ convenit, non vocis proprietati. Non deſinebat Herodis aſtutia & calliditas eſſe vera & realis, ſi vel maximè figuratâ voce exprimebatur à Domino, vulpis vocabulo: nec primæ illius promiſſionis in paradiſo factæ veritas & realitas ficta erat & falſa, ſi vel maximè verbis minus proprijs proponebatur. Æquipol-

lent certè figuratæ propriis, ſi quod uno loco figuratè in ſcripturis proponitur, alio loco effertur propriè: res n. una eſt eademq; ſi vel maximè aliis atq́ue aliis verbis efferatur: Non itaq́ue vel figuratum, vel in ſpecie Metonymicum, veritati & realitati opponitur: ſed tantùm proprio vocis ſignificandi modo.

7 3. Itaq́ue nos ſtatuamus oralem-ſacramentalem illam manducationem factam in myſterio, diverſæ rationis à phyſica, cœleſtem ſupernaturalem ſpiritualem, reſpondentem myſtico corpori Eccleſiæ cum Chriſto, quamque de ſe ſpiritualem fieri corporalem ajunt, & externam per organa, & ſi quis ejuſmodi modus alius conſiderari à quoquam poteſt, non niſi ad ſimilitudinem propriè dictæ manducationis inventam, dici non poſſe niſi per ſignificationem metaphoricam, adeoq́ue tropicè. 4. Quanquam fictus planè modus eſt; unde enim probari poterit, è quo vel authore ſive prophano ſive ſacro, è qua ſcriptura manducatio ſpiritualis, reſpondens myſtico corpori Eccleſiæ cum Chriſto, quæ de ſe ſpiritualis primùm fiat corporea per organa, quæq́ue reſpondens myſtico corpori ſit impiis & infidelibus communis? Anne organa faciunt objectum de ſe ſpirituale corporeum, ac

jam

jam dependeant objecta ab organis quoad eſſe ſuum? idque de ſe habens ſpiritualem conjunctionem, etiam per impios fiat corporeum? 5. Itaque monſtro hoc dimiſſo, non ſcripturis, nec rationi conſentaneo, agnoſcimus meritò manducationem non niſi duplicem in Euchariſtia: ſymbolorum alteram, oralem, & ſpiritualem corporis Chriſti: & hanc eſſe metaphoricam dictam ita ob ſimilitudinem & analogiam, quòd quemadmodum corpus illa, ita hæc alat & nutriat animam ſeu hominem interiorem: ſeu, quòd quemadmodum ore corporis illa, hæc ore animæ ſeu interioris hominis, fide nempe, perficiatur & percipiatur.

Metonymica ſi quando dicitur, ea non ſpectat immediatè ſuum objectum, ſed mediatè. Et ita *Beza* dicebat, quòd voces Comedendi & bibendi, ſicut propriè de ſignorum ſumptione, ſic figuratè de rebus ſignificatis dicantur ſacramentali metonymia, quâ quod ſignis competit rei ſignificatæ attribuitur; idque propter unionem ſacramentalem. Et in hunc modum ſacramentalem manducationem ſemper diſtinxerunt à ſpirituali: non tamen abſq; tropo. *Vide ea de re fuſe diſſerentem orthodoxum conſenſum cap. 9.*

Tertia propoſitio nunc ſequitur, ea e
panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſan
Chriſti: & hanc volunt eſſe diſtinc
ab ea, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt
guis meus. *Ita Theologi VVirtemberg. in re
tatione orthodox. Conſenſus ad præfat. pag.*
Quod afferunt in Maulbrunnenſi Col
quio noſtros contendiſſe & pertinac
negaſſe propoſitionem hanc: Hoc eſt co
pus meum, æquipollere huic: Hic panis e
corpus meum, calumnia eſt. Non
de re aut ſignificatione vocabulorum,
de phraſibus, earumque diverſitate
taxat diſputatum, & ex parte noſtra pugn
tum fuit: quorum altera ſit clara, diſerta,
perſpicua & in communi ſermone uſitat
quæ nulla interpretatione indigeat, ſcilic
quando Chriſtus inquit (panem d
ſtrando): Hoc eſt corpus meum: qu
admodum illa quoque, cum Johan
priſta, Spiritum Sanctum in ſpecie col
bæ deſcendentem, vidiſſe dicitur: Hic
Spiritus Sanctus. Quando autem dici
panis eſt corpus Chriſti, quæ propoſi
nusquam his verbis in ſcriptis Apoſto
rum extat, hanc propoſitionem expl
ne indigere, Wirtembergici Theol
ſerunt. Ingens autem diſcrimen in
locutiones eſſe, cum dicitur: Hoc eſt co
meum,

meum, & panis eſt corpus Chriſti, hinc conſtat: quia ſubjectum panis, propriè & per ſe non eſt in ſuæ eſſentiæ proprietate corpus Chriſti, ſed propter ſacramentalē unionem cum corpore Chriſti & eſt & dicitur corpus Chriſti, ſicut columba Spiritus S. eſt & dicitur eſſe. Et ita ſæpè docent: panem nec eſſe, nec eſſe poſſe ſimpliciter & propriè loquendo ipſum corpus Chriſti, ſed ſacramentaliter & in myſterio, *in refutatione cap. 7. orthod. conſ. pag. 444. 445. Et pag. 542. ſcribunt*: neque propriè, neque per tropum, ſed tertiâ ratione fieri poſſe *ſupra oſtendimus*. Et hinc diſcrimen eſſe docent *pag.* 445. inter ſignificationem vocabulorum propriam & prædicationem propriam. Ingens *inquiunt* diſcrimen eſt inter ſignificationem propriam vocabulorum ſubjecti & prædicati: & inter prædicationem propriam, quæ ſecundùm naturæ curſum per regulas Dialecticas examinatur. Et in hunc ſenſum *alius quidam* ſcribit: Chriſtus ſagt nicht: das brot iſt mein leib / ſondern ſpricht: das iſt mein leib / der für euch gegeben wird / das iſt mein blut / welches für euch vergoſſen wird zur vergebung der ſünden: darin kein tropus iſt. Wen aber die Kirchenvätter der beſagten reden ſich gebrauchen / ſo iſt ihre ſchrifftmeßige meinung / daß das geſegnete

vnd außgetheilete brot vnd wein ſeye Chriſti leib vnd blut nicht eſſentialiter, auch nicht ſignificativè, ſondern ſacramentali unione. In hunc itaque modum diſtinguunt duas has propoſitiones: panis eſt corpus Chriſti, & hoc eſt corpus meum: ut poſteriorem propriam eſſe aſſerant: priorem verò propriam quidem eſſe negent, non tamen tropicam, ſed modo quodam tertio. Quæritur an panis dicatur corpus Chriſti, nō propriè, ſed vel tropicè, vel modo quodam tertio.

10 Acceptamus 1. non eſſe hanc phraſin locutionem propriā: ſed aliquâ improprietate affectam. 2. Quæ verò ſit improprietas an ſpectet ea tantùm rem ſubjectam, an ſimul etiam improprietatem quandam vel Logicam, vel Rhetoricam, quoad modum prædicandi: ita ut impropria ſit prædicatio vel Logica ſine modificatione tropi: vel impropria Logica, ita tamen ut ſimul admittat tropus, nec enim improprietas Logica tollit Rhetoricam ſeu tropicam, porrò ſpiciendum.

11 Ac de primo quæſtio non eſt: nec enim quærimus, an quod eſt in myſterio dictum ſecundùm ſpecialem Dei ordinationem, ſi rem ipſam ſpectes, ſequatur curſum Naturæ. Sacramenta enim quemadmodum non niſi à Dei inſtituto & ordinatione depen-

den-

dent, ita *eſſe* Sacramentorum non poſſumus metiri aliunde, quàm è verbo inſtitutionis. Sed quæſtio eſt de modo prædicandi. Et hîc improprietas quædam Logica admittitur à noſtris etiam Theologis: locutiones enim ſacramentales, ut vocant Theologi, ſapiunt aliquid à communibus regulis logicis recedens. Et ſunt è noſtris Theologis, qui ita dicunt, eſſe hanc impropriam propoſitionem Logicam, ut excludatur Rhetorica improprietas, quemadmodum ſupra dicebamus.

Etſi verò facilè in eam ſententiam con- 12
ſentire poteramus, idque tantò libentius, quòd videmus, eos etiam, qui contrarium à nobis ſentiunt, adduxiſſe modum quendam tertium & à proprietate & à tropo diverſum & alium, quem per ſacramentalium locutionum modum exprimunt & exponunt: ne abſque juſta cauſa controverſias & diſſenſiones multiplicare videamur, ad quod dubio procul etiam reſpexerunt ii, qui hunc modum improprietatis logicæ adduxerunt. Nihilominus, quia magna pars noſtrorum Theologorum utitur eâ phraſi, quòd ſit in hâc propoſitione figuratum & tropicum loquendi genus; videndum an ii planè erraverint, nec poſſit excuſari eorum ſententia.

13 Explicant verò ut plurimùm hanc phra-
ſin Metonymicè, ita ut ſymbolum rei ſignifica-
tæ, & res ſignata ſymboli appellatione per-
mutatis nominibus dicatur. Quod quidem
non poterit explicari rectius, quàm verbis
Theodoreti dial. 1. qui inſcribitur ἄτρεπτος.
In myſteriorum, *inquit*, inſtitutione panem
appellavit corpus, & id quod minus eſt
ſanguinem. Ipſe igitur Salvator noſter
permutavit nomina, & corpori quidem
ſymboli nomen impoſuit, ſymbolo verò
corporis nomen. Manifeſtus eſt ſermo
iis, qui ſacris initiati ſunt. Voluit enim ſa-
cramentis utentes non intentos eſſe in na-
turam eorum quæ cernuntur, ſed per no-
minum permutationem credere ei, quæ ex
gratia facta eſt mutationi. Qui enim na-
turale corpus triticum & panem appellavit,
& rurſus ſeipſum vitè nominavit, is nihilo
ſymbola corporis & ſanguinis appellatione
honoravit, non naturam mutans, ſed gratiæ
naturæ adjiciens. Et ita myſticè dicta
ſunt myſtica. Hic itaque Metonymiæ
illius ſenſus eſt, & explicatio: panem eſſe
corpus Chriſti, non eſſentialiter, non natu-
raliter, ſed myſticè, ſacramentaliter, & qui-
dem ratione ſacramentalis unionis. Ut
propterea non tam in voce ipſa Metony-
miæ, quæ variis, ut ſupra declaravimus,
modis

modis poteſt explicari; quàm in ipſa interpretatione, quem in ſenſum Metonymiam noſtram declaremus ſit reſpiciendum. Et ita *Ioh. Pincier in ſcriptis Euchariſt. tract. 3. cap. 11.* explicat Metonymiam: Qui, *inquit*, Metonymiam malunt, cognationem & arctam connexionem inter ſigna & res ſignificatas reſpiciunt: Cyprianum in hoc imitati, qui diverſa nomina vel ſpecies ad unam reduci eſſentiam ait (Sacramenti ſcilicet, quod conſtat ſignis & rebus ſignificatis) & ſignificantia & ſignificata eisdem vocabulis cenſeri: ita ut ſymbola ipſa nominibus rerum ſignificatarum nuncupentur, & vice verſa, nomina Elementorum ad ipſa ſignificata transferantur. Vides eodem planè modo & Theodoretum ipſum Cœnæ myſterium, & Pincierum explicare Metonymiam, ut propterea de vocabulo periculum non ſit, dummodò conſtet de reipſa. Et ita fundamentum Metonymicæ appellationis ponimus in unione ſacramentali.

Sed dicis intelligenda verba: non eſſen- 14
tialiter, nec ſignificativè, ſed ſacramentali unione: non ergò Metonymicè, hæc enim figura videtur eſſe explicanda ſignificativè. Sed hæc ignoratio Elenchi eſt, nec enim eſſe ſignificativum, & eſſe ſacramentale, adeoq;

unio

unio ſacramentalis opponuntur, ſed ſubordinantur. Eſt enim omnibus Sacramentis commune, eſſe ea ſigna & ſymbola. Ita enim *in Apolog. Auguſtanæ Confeſſ. art.* 13. expreſsè nominantur ſigna & teſtimonia voluntatis Dei erga nos, per quæ movet Deus corda ad credendum. *Et paulò infrà*: idem effectus eſt verbi & ritus, ſicut præclarè dictum eſt ab Auguſtino: Sacramentum eſſe verbum viſibile, quia ritus oculis accipitur, & eſt quaſi pictura verbi, idem ſignificans, quod verbum. Itaque ſignificandi ratio non poteſt denegari Sacramentis. Et hinc *noſtri Theologi* dicere ſolent ex Apologia, panem & vinum eſſe picturas, ſigna & ſigilla verbi promiſſionis.

15 *Reſpondet quidam*: Es werde der vnveränderten Auſpurgiſchen Confeſſion vnd der Apologien ſinn vnnd meinung von ihren widerſachern verkehret. Dann dieſelbe nirgend lehret / das brot vnnd wein im heiligen Abendmahl ſeyen zeichen deß von der erden abweſenden / vnnd im oberſten himmel begriffenen leibs vnd bluts Chriſti. Sed ea jam quæſtio non eſt, an Sacramenta ſint ſigna abſentis corporis Chriſti: ſed an panis dicatur eſſe corpus Chriſti ſignificative.

Nec

Nec enim ſi certus quidam ſignificandi modus negatur, propterea omnis in univerſum ſignificandi ratio auferetur. Ideoq; nos eum ſignificandi modum urgemus, qui eſt Sacramentorum naturæ & ſacramentali unioni conveniens. Hinc *P. Viretus de miniſt. verbi Dei & Sacramentorum lib.9. cap.18. docet*: Quum nobis, *inquit*, eſt ſermo de Sacramentis, non aliam ipſis ſignificationem tribuimus, niſi quæ veram referat Sacramentorum naturam. Itaque ſi panis corpus Chriſti, & vinum ſanguinem ſignificant, modo ſignificandi Sacramentis proprio & peculiari, non intelligitur profectò hæc ſignificatio inanis ſine certiſſima rei ſignificatæ præſentia, & cum rebus quæ ſignificant ſocietate. Nemo enim dubitat, quia idipſum Deus revera præſtet, quod Sacramentorum notis repræſentat, quodq; promiſſio ipſis annexa, tanquam divina nota ipſis impreſſa, teſtatur & continet. Et ratione hujus ſpecialis modi ſignificandi conjuncti cum ſacramentali unione, Metonymiam intelligimus & aſſerimus.

Et hæc ſententia eſt conſentanea puriori antiquitati. Celebris eſt in Eccleſia *Tertulliani ſententia lib.4. adverſus Marcionem*: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus 16

ſuum

ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figurá corporis mei. Tertullianum verò abeſt, ut hinc corpus ipſum Metonymicum vel figuratum eſſe aſſerat, ut contrà potius veritatem inde aſſerat corporis contra Marcionem: figura autem, *inquit*, non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet. Et ne plane ea temerè excidiſſe videatur *Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem, dicit*, panem, quo ipſum corpus ſuum repræſentat. Vide an figura tollat veritatem, repræſentat ipſum corpus, idque ſuum dicit Tertullianus: ut propterea repræſentatio & ſignificatio corporis veritatem nobis non adimat. Sic Auguſt. *Pſal. 3.* Dominus Judam adhibuit in convivio, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendavit & tradidit. Item *contra Adimantum cap. 12.* poſſum etiam interpretari præceptum illud in ſigno eſſe poſitum. Non enim Dominus dubitavit dicere: Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui. Et *contra Maximin. lib. 3. cap. 22:* Hæc enim Sacramenta ſunt, in quibus non quid ſint, ſed quid oſtendant ſemper attenditur, quoniam ſigna ſunt rerum, aliud exiſtentia & aliud ſignificantia. Item *Tract. 63. in Ioh.* Non dictum eſt, panem ſigni-

ſignificabat Chriſtũ, ſed petra erat Chriſtus. Ita enim ſolet loqui ſcriptura, ut res ſignificantes, tanquam illas quæ ſignificantur, appellet. Vides ergò falſum eſſe, non rectè à Patribus ſignificativè dictum, panem eſſe corpus Chriſti: ſed eâ ſignificatione, quæ naturæ Sacramentorum reſpondet, ut dicebamus ſupra, non quæ tollat, ſed quæ ponat & aſtruat ſimul veritatem corporis. *Quid multis?* Nominent genus tropi ſolenne aliâs locutionibus ſacramentalibus, aliisq; phraſibus ſcripturæ, quâ dicitur ſeptem boves ſeptem anni: ſemen eſt verbum Dei. & nos nominabimus tropum hujus propoſitionis: panis eſt corpus Chriſti. Genus enim ſignificandi commune eſt & huic, & illis loquendi formulis: tametſi in particulari ſignificandi modus ſpecialis ſit, & Sacramentis, & in ſpecie Euchariſtiæ ſuus & proprius.

Expoſuit eundem in modum hanc rem 17
Calvinus 1. *Cor.* 11. *ad v.* 24. & *VVirtembergici* approbant eam ſententiam *in refutatione orthod. Conf. cap.* 5. *de palinodia Berengarii pag.* 315. tametſi omittunt verba, quando fit metonymiæ mentio. *Calvinus verò ita ſcribit*: cur appellatio corporis pani tribuitur? omnes puto concedent, eâdem ratione, quâ Spiritum Sanctum Johannes Columbam

lumbam vocat. *Hactenus convenit.* Porrò
Spiritu illa fuit ratio, quòd ſub colu
ſpecie apparuerat: transfertur ergò ſpir
nomen ad ſignum viſibile. Cur hîc neg
mus ſimilem eſſe metonymiam, nomen
corporis pani tribui, quia ejus ſignum
ſymbolum? Conſtituo itaque ſacram
taiem hîc eſſe loquendi modum: ubi Dom
nus rei ſignatæ nomen ſigno tribuit. Non
ulterius pergendum ac quærenda metony
miæ ratio. Ubi notandum, cum reu
bent, Wirtembergicos ſibi metuiſſe
inani Metonymias notione: ita enim in
ferunt hæc verba: Transfertur ergò ſpi
tus nomen ad ſignum viſibile. Cur hîc
negemus ſimilem eſſe locutionem? Ex mo
quærenda ratio. Hinc apud Calvinum
ſimiliter & apud Wirtenbergicos ſequi
Hîc reſpondeo: non ideò tantum ſpi
imponi nomen rei ſignatæ, quoniam fi
gura: ſed magis, quia ſymbolum ſit, quod
exhibetur. Similitudines enim quas mu
tuant quidam à rebus profanis aut tenuis,
quoniam à Sacramentis Domini habem
aliquid diverſum, non admitto. Vocatur
Hercules ſtatua Herculis: ſed quid illic eſt
præter nudam inanemque figuram? Co
lumba autem ſpiritus vocatur, quia ea
ſit teſſera inviſibilis præſentiæ. Ergò

eſt corpus Chriſti, quia certò teſtetur exhiberi nobis corpus illud, quod figurat: Vel quia Dominus viſibile illud ſymbolum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis ſuum corpus: neque enim fallax eſt Chriſtus, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controverſiam, veritatem hîc cum ſuo ſigno conjunctam eſſe, hoc eſt, non minus verè nos, quantum ad vim ſpiritualem attinet, participes corporis Chriſti fieri, quàm pane veſcimur. Quæ verba ultima tametſi omittunt Wirtenbergici: cum Calvino tamen, atque adeò nobiſcum quoad modum loquendi conſentiunt. Cum ergò de re conſtet, quid opus contendere de nuda Metonymias notione & appellatione?

Quarta propoſitio eſt: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Hîc jam quæritur, an ſit ea ab omni tropo libera? Ita docent *VVirtembergici in refut. Orthod. conf. cap.* 10. *pag.* 610. hæc verba: hoc eſt corpus meum, κατὰ τὸ ῥητὸν explicanda eſſe. Idque ut obtineant, cenſent, vocabulo *Hoc* non demonſtrari tantùm proximè antecedens, panem nempe vel poculum: ſed utrumq; ſimul panem & corpus Chriſti, vinum & ſanguinem Chriſti: atque adeò per pronomen (*Hoc*) non panem tantùm, ſed cor- 18

pus Chriſti verum & reale cum pane co
junctum etiam intelligendum, *in refut.*
Orthodox. Conſenſ. cap. 5. pag. 315. & c. 7. p.
& ſeqq. Idque clarius exprimit *alius quid.*
Damit er anzeiget/daß beym Matth.
vnd Marco / das wörtlein Hoc, das
nicht nur brodt vnd wein / ſonder
gleich den leib vnnd das blut mit
vnd deßhalben ſpricht Chriſtus be
bigen beyden Evangeliſten: D
mein leib/das iſt mein blut. Et
pòſt: Darumb wann Chriſtus
S. Matthæo vnnd S. Marco ſa
Das iſt mein leib / das iſt mein blut:
ſo muß die gemeinſchafft vnnd ſacra
mentliche vereinigung durch d
lein das/ mit begriffen / vnd alſo
nur die jrdiſchen Elementen / ſo
zugleich der leib vnnd das blut Chr
vnter ſelbigem wort das / das / mit
ſtanden werden. Et alibi: Faſch
es/daß das wörtlein das / in dem ſpr
Chriſti: Eſſet / das iſt mein leib:
cket / das iſt mein blut: nur auff
vnd wein / vnnd nicht zugleich auff
leib vnd blut Chriſti zeigen ſolte:

ſolte diß zeiger wörtlein nur auff das brodt vnd den wein zeigen / ſo würde alhier ein gemeines vnnd natürliches (wiewohl zum gedechtnus Chriſti gerichtet) eſſen vnd trincken eingeführet.

Sed ſi in hunc modum interpretabuntur verba Chriſti, non tamen effugient, quin tropum ſynecdoches in his verbis conſtituant. Ita enim dicebamus ſuperius, Brentium per ſynecdochen explicare, quando dicit; In cœna Dominica duo nobis offerri, panem & corpus: ſolum tamen corpus nominari, quod eſt in hâc diſtributione præcipuum. Et in hunc modum *Petrus Viretus lib. 9. de miniſt. verbi Dei & Sacramentorum cap.* 17. docet, quo ſenſu commodè recipi poſſit in Cœna ſynecdoche in verbis Chriſti: Si ſynecdochen, *inquit*, ad hæc explicanda accerſere volumus, neceſſe erit pane illo, quem volunt demonſtrari pronomine *Hoc*, utrumque ſimul, hoc eſt, panem & corpus Chriſti, vino autem ſive poculo, vinũ ſive poculum, ac ſimul ſanguinẽ Sacramẽti, eaq; omnia offerri, dari & exhiberi. In huncitaq; ſenſum jam non eſſet contentio quoad modum loquendi ipſum: ſed tantum quoad notionẽ, an modus is loquẽdi dicendus ſit ſynecdoche, nec ne? ita certè Luthe- 19

rus, & Brentius appellant, ut conſtat è ſu-
periùs dictis, nec refragatur Petrus Vi[illegible]
ut diximus.

20 Sin pronomen *Hoc* referamus ad ſym-
bola, res eodem redit, tantùm genus [illegible]
mutatur: quia enim æquipollentes eſſe [illegible]
cebamus has, Hoc eſt corpus meum, [illegible]
nis eſt corpus meum, nec id negabant [illegible]
tembergici: ratione ejus æquipollentiæ
fit, ut communiter noſtri Theologi per par-
ticulam demonſtrativam *Hoc* intelligant
ſymbola: non vacua ea & inania, ſed [illegible]
vi verbi promiſſionis rem ſignificatam
ſimul ſtatuant præſentem, quo ſenſu ſi-
gna ſacramentalia è noſtris Theologis
eſſe ea ſymbola diximus, hoc eſt, quæ in-
ferant ſignificationem naturæ Sacramen-
torum reſpondentem: jam è ſuperioribus
clarum eſt, eodem ſenſu, quo Metonymi-
cam dicebamus eſſe hanc, panis eſt corpus
Chriſti, Metonymicè ſimul intelligi poſſe
eam, Hoc eſt corpus Chriſti. Quando enim
de re ipſa jam conſtat, quo ſenſu Metony-
miam dicamus: in modo loquendi nullum
erit periculum. Nec enim notio immu-
tat rem ipſam, ſed rebus imponitur ſecun-
dùm eum conceptum, quem de rebus ipſis
format & concipit noſter intellectus.

21 Cæterum quoniam dicebamus eſſe [illegible]

fines diverſos, ſed eos ſubordinatos, pro quorũ diverſitate poſſit etiam diverſa eſſe Sacramenti conſideratio, adeoque tropi genus non unum aſſignari, de eo quoque videndum. Ita Philippus Melanchthon in locis communibus docet, de Cœna Domini: poſtquam, *inquit*, de principali fine, videlicet de confirmatione fidei dictum eſt, rectè adduntur multi alii fines. Nam unius actionis poſſunt eſſe multi fines, ſed ordinati.

Primus itaque ac principalis finis eſt 22
confirmatio Fidei. Hunc expoſuit nobis *Calvinus Inſt. lib. 4. cap. 17. ſect. 4.* Non ſunt, *inquit*, præcipuæ Sacramenti partes corpus Chriſti ſimpliciter & ſine altiori conſideratione nobis porrigere: ſed magis promiſſionem illam, quâ carnem ſuam verè cibum teſtatur, & ſanguinem ſuum potum, quibus in vitam æternam paſcimur, quâ ſe panem vitæ affirmat, de quo qui manducaverit, vivet in æternum: Illam (*inquam*) promiſſionem obſignare & confirmare: & quò id efficiat, ad Chriſti crucem mittere, ubi ea promiſſio verè præſtita & numeris omnibus impleta fuit. Hic finis nobis revera conferetur verâ fide utentibus cœnâ: externo verò ritu, ceu pictura verbi ante oculos ponitur: hîc enim verè uti poſſumus

verbis *Apol. art.* 13. (ipſis etiam W... conſentientibus *refut. Orthod. Conf.* ... *pag.* 524. quia de uſu & fine agitur quid profit Sacramentum) eſſe Sacra... ta ſigna & teſtimonia voluntatis Dei ... nos, per quæ movet Deus corda ad cre... dum. Quando enim panis & vinum ... ponitur, in cibum & alimoniam nobis ... quæ offeruntur corpus & ſanguinem ... tur: quando accipere jubemur no... eſſe, quod offertur: quando comede... bibere, ejuſmodi eſſe, ut cõmunionem ... poris & ſanguinis Chriſti eam operan... nobiſcum ut una fiat ſubſtantia. Quando deniq́ue pro nobis dari dicitur: noſtrum potiùs, quàm ſuum eſſe, quod agitur, ... tur Chriſtus. Et hunc finem tradit ... lus 1. *Cor.* 10. *v.* 16. Calix benedictionis ... benedicimus, nonne communicatio ... guinis Chriſti eſt: & panis quem fran... mus, nonne participatio corporis Dom... eſt?

23 Eſt & alter finis, quem proponit *Apoſt.* 1. *Cor.* 11. *v.* 24. 25. 26. huic planè ſubordinatus: Commemoratio mortis Domini: quem ita nobis commendat Apoſtolus, ut tertiâ vice ordine eundem repe... Hæc commemoratio, ut ordinata eſt ad ... nem principalem: ita habet conjun...

gratiarum actionem. Inde ſequuntur alii, ut quòd in ſpecie ſingulis in Sacramento applicatur, quod in verbo univerſaliter promittitur. Ob quem finem maximè probo ritum noſtrarum Eccleſiarum, quo ſingulis offertur cum ſpeciali applicatione promiſſionis Sacramentum. Et 4. ut ritus illi ſacramentales ſint nervi publicorum congreſſuum & notæ profeſſionis: quem finē nō negat *Apolog. art.* 13. tametſi negat eſſe principalem. Et 5. ut ſit vinculum mutui amoris & charitatis, & ſimus memores, ab Apoſtolo dictū 1. *Cor.* 10. *v.* 17. quoniam unus panis & unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus. De quibus diverſis finibus latiùs poſſunt conſuli Theologi, & in ſpecie *Harmonia Confeſſionum ſub litera C. & Ioh. Pincier in ſcript. Euchariſt. tract.* 3. *cap.* 27. At verò pro diverſitate finium conceptus etiam diverſos circa Euchariſtiam occurrere, ſecundùm quos diverſas notiones, adeoq; tropos diverſi generis deſignare poſſimus, nemo facilè poterit negare, & nos reipsâ demonſtraremus, niſi brevitati conſulere cogeremur. Et hæc in præſenti de Euchariſtia quoad controverſiam Lutheranorum dicta ſunto. Alio forſan tempore de controverſiis Pontificiorum & Socinia-

cinianorum acturi ſumus, ſi Deo ita viſum fuerit.

Rogamus verò Deum Opt. Max. ut is tandem aliquando ſuæ Eccleſiæ miſereatur, & tollat diſſenſiones eas magno multorum piorum ſcandalo circa hoc Sacroſanctum myſterium enatas, ut tandem aliquando majori concordiâ & conſenſu ſanctum ipſius nomen inter nos celebretur, charitas creſcat, & cum ipſo ſimul, ac inter nos magis magisque uniamur. Da Deus ſalutem, da proſperitatem. Amen.

REGI SECULORUM IMMORTALI, INVISIBILI, SOLI DEO, HONOR & GLORIA IN SECULA SECULORUM. AMEN.

Amen

Amico & benevolo Lectori S.

QVum inde ab exhibita Invictißimo Imperatori Carolo V. Confeßione Auguſtana, elapſo veteri novum ſeſe aperiret ſeculum: viſum eſt Eccleſiis Evangelicis ad recolendam tantæ rei memoriam, & celebrandum tam rarum Dei beneficium, qui inter tot tamq; graves perſequutiones & fremitus adverſariorum conſervarit nihilominus hanc Confeßionem, ſolennes ferias inſtituere, noſtris etiam Eccleſiis accedentibus, & ad conſenſum ſuum cum Auguſtanæ Confeßionis ſociis teſtandum, idem approbantibus. Nec hîc mutæ fuerunt Academiæ: & apud nos præter Orationem publicam, habita fuit ſolennis ea Diſputatio, quam nunc exhibemus denuò, omnes ut agnoſcant, nos eandem doctrinam de Euchariſtia fovere & tueri, & Articulum decimum ita propugnare, ut improbemus ſecus docentes. Det Deus pacem & Concordiam firmam inter nos, ut curſus Evangelii latiùs extendatur & propagetur.

D.O.

D. O. M. A.

Auſpiciis

Illuſtriſſimi & Celſiſſimi Principis ac

Domini,

DN. WILHELMI,

HASSIÆ LANDGRAVII,

COMITIS IN CATZENELNBOGEN,

DIETZ, ZIEGENHEIN ET NIDDA, &c.

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

Cujus Celſit. quantulumcunq; id eſt, quod proponitur, Sacrum eſto:

PRO FELICI

AUGUSTANÆ CONFESS. INVICTISS. ROM. IMP. CAROLO V.

EXHIBITÆ,

Primi ſeculi clauſula

Inchoati novi ingreſſa,

Pietatis & devotionis erga DEUM,

Conſenſus cum Eccleſia teſtandi gratia,

PRÆSIDE

JOHANNE COMBACHIO

A. D. XXVI. JUNII HORIS ANTE ET POmeridianis Publicæ Diſputationi ſubjicit

GEORGIUS ZENTGREVIUS MORSENSIS

ARTICULUM X. AUGUSTANÆ CONFESSIONIS

Unà cum ſequentibus thematibus è puriori antiquitate depromptis.

CONfitemur juxta verba Irenæi constare Eucharistiam duabus rebus: terrenâ, & cœlesti. Itaque sentimus & docemus, cum pane & vino verè & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus Christi & sanguinem, *secundùm Concord. VVitteb. Anno* 1536. 1

Nequaquam enim post sanctificationem mystica symbola propriam amittunt naturam: Manent enim in priore substantia, & figura, & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea, *Theodor. dial. 2. qui inscribitur Inconfus.* 2

Sed in mysteriorum institutione, panem appellavit corpus, & id, quod mixtum est, sanguinem: ac permutavit nomina, & corpori quidem symboli nomen imposuit, symbolo verò corporis nomen. Manifestus est scopus iis, qui Sacramentis initiati sunt. Voluit enim Sacramentis utentes, non intentos esse in naturam eorum, quæ cernuntur, sed per nominum permutationem credere ei, quæ ex gratia facta est, mutationi. Qui enim naturale corpus triticum & panem appellavit, & rursus seipsum vitem nominavit, is visibilia symbola corporis 3

poris & sanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adjiciens, *Theodor. dial.* 1. *qui* ἄτρεπτος vide *August. Epist.* 23.

4 Quamvis enim sensu, quæ dantur, percipiuntur: Spiritualiter tamen dantur, non secundùm naturæ consequentiam, sed secundùm muneris gratiam, & cum corpore etiam animam in fidem adducendo nutriunt, *Chrysost.* 1. *Cor.* 10. *hom.* 22. αὐτῆ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος· τίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος· καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐν τῷ φανερῷ ἄρτῳ πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι, inquit *Macarius homil.* 27.

5 Atque hinc fit, ut dum unigeniti filii Dei, hoc est, Jesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annunciamus, ejusdem in cœlum assumptionem profitemur, incruentum in Ecclesia Dei cultum obeamus, mysticasq; benedictiones adeamus, eáq; ratione sanctificemur, utpote sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Salvatoris participes effecti, *Concil. Ephes.*

6 Et hîc nihil differt sacerdos à subdito, quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim omnes, ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege

Levit.

(*Levit.*12.)partem quidem ſacerdos comedebat,partem autem populus, & non licebat populo participem eſſe eorum,quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic. Verùm omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum, *Chryſoſt.*2.*Cor.c.*8.*homil.* 18.*ſub init.Moral.* vide *eundem in Matth.cap.*13. *hom.*46.

Cavendum tamen, ne percipiendo 7
Euchariſtiam tales ſimus, qualis Judas fuit, ut monet *Auguſt. in Pſalm.*10. Ipſe enim Chriſtus dicens: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo: oſtendit quid ſit non ſacramentotenus, ſed revera corpus Chriſti manducare, & ejus ſanguinem bibere: hoc enim eſt in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. *Auguſt. de civit.* DEI *lib.* 21. *cap.* 25. Ac per hoc, qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, procul dubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti

acce-

accedere ſacramenta, quæ aliquis non digne ſumit, niſi qui mundus eſt, *Tract. 26. in Ioh. c. 6.* Is enim habet foris ſacramentum, ſed rem ipſam non tenet intus, cujus eſt illud ſacramentum, & ideò ſibi judicium manducat & bibit, *Epiſt. 50.* Unde *Bernardus*: Sacramentum ſicut accipit ad vitam dignus: ſic ad judicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim ſine re ſacramenti, mors eſt ſumenti. Res verò ſacramenti etiam præter ſacramentum vita æterna eſt accipienti, *in ſerm. 2. de Cœna Domini.*

8 Indeque *Auguſt. de temp. ſerm. 244:* Si erubeſcimus ac timemus Euchariſtiam manibus ſordidis tangere, plus debemus timere ipſam Euchariſtiam intus in anima polluta ſuſcipere.

9 Sacrificium verò eſſe Euchariſtiam non negamus, ſed eo ſenſu quo *in lib. de fide ad Petr. c. 19. qui Auguſt. inſcribitur*, docetur: in illis carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe ſine peccato erat oblaturus, & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionem peccatorum noſtrorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio atque commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit, & ſanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.

In

In illis ergò sacrificiis, quid nobis esset donandum, figuratè significabatur. In hoc autem sacrificio, quid nobis jam donatum sit, evidenter ostenditur. In illis sacrificiis pronunciabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annunciatur occisus, testante *Apostolo* *Rom.* 5.

Index

Index Rerum & Verborum utilis in librum de Eucharistia.

A

ABrahæ conflictio cum promissione divina 3

Accipitur aliquid vel immediatè in seipso, vel mediatè in alio. 183

Administratio externa, & interna collatio differunt. 113

AEquipollentia non excludit Tropum. 161

Allegoriæ & figuræ cum figuratis & tropis locutionibus non confundendæ. 107

Allegoriæ duplicis generis, Ibid.

Allegoricus sensus differt multùm à locutione figurata. 110

Ambigua vox. 110. ejus distinctio. 111

Analoga fidei debet esse Prophetia, & debet esse analoga scripturæ interpretatio. 83

Anima carnis sanguis est. 191

Αντινομίαι & ἀντιλογίαι duplicis generis 90 eæ in scripturis per scripturas explicandæ 91

Apologia Lutheri ad Christi tribunal. 111

Argumentorum quinq; classes, quibus probant volunt in Cœna Domini non discedendum à proprietate verborum. 8

Ar-

Articulus ascensionis & sessionis non evertit institutionem Cœnæ Dominicæ. 143

B

In Baptismo res sensibilis & insensibile quidlam. 70

In Baptismo oculus aquam videt, fides sanguinem Christi. 75

Brentii sententia de Cœna Domini. 44

Bucerus in explicatione artic. 3. Concord. VVitteb. declarat doctrinam de manducatione Indignorum. 165

C

Capernaitæ propriè accipiebant verba Christi, nec tamen erat sensus genuinus. 116

Chattah Hebræis significat & peccatum, & hostiam pro peccato. 136

Christi corpus verè humanum in scriptura. 51

Christi corpus nec omnipræsens, nec multipræsens. 52

Christi actio nostra imitatio. 33

Chrysostomi locus insignis de Sacramentis. 69

In Cœna sacra an corpus Christi adsit corporaliter in pane & vino. 46. & an corpus Domini ore manducetur. 47. 48. negativa probatur quinq; argumentis, quorum primum desumptum è natura veri corporis 48. quinq; exceptiones ad hoc ipsum 49. quarum nullitas probatur. 50

Cœna Domini Eucharistia dicitur. 56

Colloquium Quedlinburgense. 58
Communio Eucharistia dicitur. 1
Ad Communionem an non jejuni admittendi. 2
Communio laica quid sit. 3
Communio peregrina. 4
Concordia Wittebergensis approbata. 117
Consecratio. 30
Corpus Christi manducare sacramentotenus & revera quid. 16.177
Corpus spiritualiter potest percipi. 60
Corpus & sanguis Christi cibus & potus spiritualis. Ibid.
In Corpore Christi distinguitur natura & donum. 181
Cruentatio spiritualis fidei objectum. 75

D

Dentibus premi sacramentum corporis & sanguinis Christi. 158
Dissensio inter eos, qui urgent proprietatem verborum Christi realis: inter nostros, non realis, sed tantùm notionalis. 111.115.118
Doctrina sedem necessariò verbis propriis proponendam, κρινόμενον. 93
Dogma fidei in Ecclesia nondum traditum an semper verbis propriis proponatur. 94
Dogma de semine mulieris, novum quum esset in Ecclesia, verbis propriis nō propositum. 95

E

Edere limitatè quomodo dictum. 158
Eucharistia varia nomina. 1
Eucharistia vocatur corpus & sanguis Domini, & sacramentum corporis & sanguinis Domini. 8
Eucharistia definitio. 10
In Eucharistia panis & vinum manet ante & post consecrationem. 11
In Eucharistia quæ & qualis mutatio Elementorum. 12
In Eucharistia dari corpus non figuratum, nec tropicum. 13. an vivum, an verò mortuum. 14. fundamentū præsentiæ corporis Christi, non nisi è verbis institutionis & promissionis petitur. 19. quatuor fundamenta præsentiæ rejiciuntur. Ibid.
Eucharistia quibus partibus constet 25. ejus materia & forma. Ibid. & seqq.
In Eucharistia quinq; quæ Christ⁹ facere jusserit. 28
Circa Eucharistias doctrinam controversia principalis. 42
In Eucharistia realis præsentia corporis Christi non negatur à nostris, & in ea exhibetur ipsa substantia corporis & sanguinis. 43. negatur verò immediata adessentia corporalis, in, cum & sub signis 44. & negamus oralē manducationem corporis Christi. Ibid.
In Eucharistia mensa spiritualis & alimentum spirituale. 71

In Eucharistia fideles, quos peperit, nutrit & alit Christus. 72

In Eucharistia cibus spiritualis animæ, non corporis: hominis non exterioris, sed interioris, non oralis & corporalis, sed insensibilis, intelligibilis, incorporalis. 73

In Eucharistia Chrysostomum facere mentionem manus, oris, linguæ, quomodo intelligendum lib. & 75

In Eucharistia repetitio verborum facit ad illustrationem verborum, non ad proprietatem. 92

In Eucharistia quatuor consideranda. 95

Eucharistia constat re terrena & cœlesti. 98

In Eucharistia multùm differunt, Edite, hoc est corpus meum, & in, sub & cum pane editur corpus Christi. 116

In Eucharistia quid vel non controversum, vel controversum sit. 123.124

In Eucharistia non accipi corpus symbolicum & figuratum, sed ipsum verum corpus. 154

Εὐλογεῖν. 138

F

Fidei dogma non semper eo loco, ubi sedes ejus est, verbis propriis exprimi. 84

Figurata locutio in sacris, quæ præcipit flagitium. 157

Figura & signa an rectè dicantur Sacramenta. 220

Fide-

Fædera non semper propriis verbis descripta. 113
Forma quomodo vel divisibilis, vel indivisibilis. 24
Forma latiùs & strictiùs dicta. 30.31
Fractio panis in Eucharistia an sit pars, & an essentialis, vel integralis. 23
Fractio panis an sit necessaria in Eucharistia. 33
Fractio panis non tam pars essentialis, quàm integralis. 35
Fractionis ceremonia apud quos in usu non est, an cum iis communicandum. 36

G

Gratia Sacramenti offertur omnibus, sed non confertur omnibus. 175
Gratiæ oblatæ participatione sua culpa multi excidunt. Ib.

H

Hæc est Hierusalem, in Confess. Wirtemb. adhibetur ad explicationem Eucharistiæ. 126
Hoc est corpus meum, an eadem cum illa, panis est corpus meum. 214
Hercules statua Herculis. 224

I

Indigni pellendi ab Eucharistia. 73. si fuerint noti & manifesti. 74
Indigni dari corpus & sanguinem Domini, quo sensu verum. 76
Indignorum manducatio. 164
Indigni accedentes ad Cœnam Domini, non unius generis. 167

In Institutionis Cœnæ Dominicæ verbis diversorum modorum loquendi consideratio. 198
Iohannes Baptista Sp. Sanctum descendentem vidit in specie columbæ. 214
Irenæus ignorat oralem manducationem corporis Christi. 98
Iudas panem assumpsit impuro ore. 73. an fidelis particeps corporis & sanguinis Christi. 176
Iudicium damnationis & correptionis. 169

L

Literalis sensus alius non simplex, alius figuratus. 108
Literalis sensus non semper adfert perspicuitatem, exemplo Lutheranorum. 117
Literalem sensum & proprium tam Pontificii quàm Lutherani defendunt, inter se tamen dissentiunt. 108
Loco certo esse cum sessione ad dextram Dei haud potest subsistere. 56
In loco esse tribus modis dicitur, pro diversitate Entium. 56
Lutheranorum Electoralium & Brunsuicensium, dissidium in Colloquio Quedlinburgensi 53. & Tubingensium & Marpurgensium de Vbiquitate. 54

M

Manducatio oralis, sacramentalis, spiritualis, è verbis Institutionis. 15. 16. 59. 140
Manducationis oralis requisita. 57

Man-

Manducare corpus Christi revera & sacramento-tenus quomodo disting. 78
Manducari symbola foris, corporis Christi manducatio non nisi spiritualis. 79
Manducatio oralis originem præbuit controversiæ de præsentia corporea, & vel ubiquitate, vel multipræsentia. 82
Manducationis vox ambigua. 140
Materia interna & externa. 30
Memoria & commemoratio Christi quid efficiat. 22
Membris externis denotatur quandoq; cultus spiritualis. 75
Mensa duplex in esu agni paschalis. 145
Missa Mazorabum. 34
Mysteria non nisi propriis verbis exprimenda, falsum. 119

N

Nox passionis non impedit figuratum dicendi genus. 105
Notionalis disputatio de Cœna Domini. 185
Notio Logica & Rhetorica. 186
Notionum diversarum eidem rei imponendarum duplex caussa. Ibid.
Notionum secundarum præcisus significandi modus. 192

O

Objectum & facultas quomodo conveniant. 180

Objectum quidem manducationis est corpus Christi, non tamen hinc sequitur oraliter vel corporaliter manducari. 181
Objectorum diversitas vel materialis, vel formalis. 182
Oralis manducatio non eodem modo dicitur à Lutheranis de pane & corpore. 149
Origenis allegoriæ quales. 108
Os cordis & corporis. 57.115

P

Paschalis convivii elegans descriptio. 96
Peccatum commissionis & omissionis. 173
Petra erat Christus. 195
Pharisæorum disputatio de dimittenda uxore illustratur. 91
Phrases sacramentales. 103
Poculum quot modis dicatur, & an sine tropo. 131
Prædicata talia, qualia permittuntur esse à suis subjectis. 133
Præsentiæ triplex modus, circumscriptivus, definitivus & repletivus, non potest eidem corpori convenire, sed variat pro varietate [illegible] 21
Præsentiæ Christi in sacra Cœna modus 45. & modus ejusdem præsentiæ secundùm Lutheranos. 46
Præsentia fidei æquè vera & certa atq; corporalis. 128

Q

Quale objectum, tale medium apprehendendi, quomodo

modo intelligendum. 179
Quintiliani de tropis, eorumq; generibus & speciebus judicium notabile. 189

R

Ratus in Cœna qualis. 173
Recipitur quidq; secundum modum recipientis. 60
Repetitio ejusdem dogmatis an sit argumentum sensus secundùm literam. 19. est argumentum certitudinis, non propriet atis verborum. 135
Res & modus participationis differunt. 60
Ritus paschalis convivii describitur. 173

S

Sacramenta N. Testamenti duo. 10
Sacramentum duo complectitur, signum visibile & gratiam invisibilem. 11
Sacramentalis unio. 17. non requirit loci indistantiam. 18
Sacramentalis analogia. 32
Sacramentis V. & N. Test. res eadem offeruntur, mutatis tantùm symbolis. 60
Sacramentis mutatis nõ propterea res diversa. 61
Sacramentis mutatis non propterea res diversa. 61
Sacramenta verbæ visibilia, mutabilia, temporalia. 62
Sacramenta eadem quoad substantiam in V. & N. Test. 63
Sacramenta signa rerum, aliud existentia, & aliud

liud significantia. 68
Sacramentorum V. & N. Test. unitas & diversitas in quo sit. 68
In sacramentis duo consideranda, sensibile & insensibile, & quare. 70
In sacramentis ministerium distinguitur ratione externæ administrationis, ab interna actione. 71
Sacramenti gratiam offerri omnibus, sed non omnes percipere Christum, ipsorum vitio. 72
Sacramentum alicui non utile, sed noxium. 77
Sacramento tenus & revera manducare corpus Christi. 77. 157
Sacramentum corporis Christi secundùm quendam modum corpus Christi esse. 80
Sacramentorum ratio non fuit incognita in Ecclesia. 100
Sacramentales phrases. 105
In sacramentis nominum permutatio. 204
Sacramenta sumere possunt tria hominum genera. 166
Sacramenta non possumus aliunde metiri, quàm è verbo Institutionis. 217
Sacrificiorum odor suavis, non ratione externæ oblationis, sed ratione fidei. 201
In scripturis obscuriora explicanda per clariora. 209
Sedere ad dextram Dei metaphoricè dictum quid sit. 84. & seqq.

Senten-

Sententia claritas non tollit tropum. 92
Synecdoche & Metonymia sæpè concurrunt. 187
Synecdoche Rhetorica & Grammatica. 189

T

Testamenta, pacta, fœdera an semper propriis verbis exprimantur. 113
Testamentum Christi in quo propriè sit. 135
Tropi plurimi occurrunt in Institutione Cœnæ Domini. 105
Tropus veritati non adversatur. 115
Troporum diversis notionibus idem appellari à Gieß. 132
Tropum in alterutro Evangelistarum Matthæo vel Luca in verbis Cœnæ esse necesse est. 133
Tropus in verbis est, non in rebus. 144
Tropus num sit in copula. 159
Troporum definitiones & modi ab aliis atq; aliis variè assignantur. 186
Tropi genus assignare sæpè difficile, quare. 196
Tropos plures in sacra Cœna agnoscunt nostri Theologi. 203
Troporum diversorum in sacra Cœna conciliatio. 206
Typus & Typicum an in N. Test. & in sacra Cœna. 150.

V

Vbiquitas non est fundamentum præsentiæ corporis Christi in Cœna. 20

Vbiquitatis monstrum, & de ea dissidium inter Electorales, Brunsuicenses, Tubingenses & Marpurgenses. 53. 54

Vbiquitas non potest concludi ex unione personali. 55

Verborum soni pro tempore commutantur. 52

Verborum proprietas non semper parit dogmatum certitudinem. 101.116

Verba intelligenda secundum subjectam materiam. 109

Vmbra futurorum in veteri, corpus Christi in N. Test. quomodo intelligendum. 65

Vnio hypostatica, & dextræ Dei ubiquitatem nihil faciunt ad ubiquitatem carnis Christi. 21

Vnio naturarum non infert, quòd ubicunque una natura, ibi necessariò sit & altera, secundùm Heshus. in Colloq. Quedl.

Vox eadem in eadem propositione potest significare & propriè & figuratè. 192. 194

W

Wirtembergici sibi metuunt ab inanì Metonymiæ notione. 214

FINIS.